FRANCISCI TVRRIANI SOCIETATIS IESV, RESPONSIO APOLOGETICA AD CAPITA ARGVMENTORVM

Petri Pauli Vergerij hæretici, ex libello eius inſcripto: De Idolo Lavretano, ad Ottonem Henricum Palatinum Rheni, inferioris & ſuperioris Bauariæ Ducem deſtinatum.

HVIC APOLOGIAE PRAEFIXA EST HISTORIA breuis, de origine, migratione, & agnitione ſacri Sacelli, olim B. Virginis Mariæ domicilij.

Libellvs antehac nunquam in lucem editus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Cum gratia & priuilegio Caſareæ Maieſtatis.

INGOLSTADII,

Ex Officina Typographica Davidis Sartorii.

Anno M. D. LXXXIIII.

TYPOGRAPHVS CATHOLICO LECTORI S.

EXſtat, Catholice Lector, Petri Pauli Vergerij libellus qui DE IDOLO LAVRETANO *inſcriptus eſt. In quo homo nequitia perditus & impius, ſacratiſsimã Virginem, Deiq́; Matrem ſanctiſsimam inſigni contumelia affecit, quandoquidem multa pernicioſè quæ & ordine & ratione vacant, atque adeò erroris pleniſſima ſunt in Lauretanam domum nefariè mentitus eſt. Quamobrem ego nactus libellum Apologeticum R. & eruditiſsimi viri Franciſci Turriani Societatis* IESV *Theologi, operæ pretium duxi eundem in lucem edere, idq́; ob eam potiſsimũ cauſſam, quod non modò argumenta Vergerij egregiè confutet, verùm etiam hominis ſcelus atq; impietatem in omnium oculis defigat. Nam quod ad ipſum quidem Vergerium attinet, neq; apud me, neq; apud quemquam bonum is tanti eſt, aut eſſe debuit, vt tam longo temporis interuallo, præ-*

ſens libellus typis imprimeretur, ne, quod prouerbio dicitur, cum laruis luctari viderer. Neq; verò magnopere de iis laboro, qui, iiſdem quibus Vergerius, furiis agitati, eò furoris progrediuntur, vt ne ipſi quidem ſanctiſsimæ caſtiſsimæq; CHRISTI Opt. Max. parenti parcendum putent, hos, inquam, nil moror, cùm tibi ſoli, Lector Catholice, vt æquo rerum æſtimatori placere, operamq́; meam & voluntatem, probari velim. Vale. Ex Typographia noſtra, VIII. Id. Auguſti. Anno Virginei partus,

M. D. LXXXIV.

HISTORIA
DE ORIGINE, MIGRATIONE, ET AGNITIONE SACELLI LAVRETANI B. MARIÆ Virginis, deſumta ex tabula quæ in Lauretano templo affixa eſt.

SAcellum Lauretanum B. MARIÆ Virginis, quod auguſtiſſima æde circumdatum, à maxima Chriſtiani ac Catholici populi religione viſitatur & colitur; Nazarethi olim eiuſdem, in Ioachimi & Annæ parentum ædibus domicilium fuit; in quo nata & educata, atq; ab Angelo ſalutata CHRISTVM Opt. Max. concepit, ac annis pluribus nutriuit.

Porro poſt CHRISTI in cœlos aſcenſionem, ob ſingularia & inexplicabilia, in eadem ædicula peracta myſteria, S. Apoſtoli eam ſacris vſibus dedicârunt. Itaque ſacris etiã nonnunquam ibidẽ operati ſunt. D. Lucas cum caſtiſſimæ Virginis MARIÆ imagine, à ſe depicta, Sacellum donauit atq; decorauit, quæ adhuc integra illic aſſeruatur. Frequentatum igitur & in honore habitum eſt Sacellum Virginis in Galilæa, quamdiu Mahumetana barbaries & impietas Palæſtinam omnem non peruaſit.

At Palęſtina Chriſtiana religione iam repu-

 diata,

diata, ab Angelis, admiranda ratione Flumen, quod Illyrij oppidũ fuit, delatũ eſt. Verùm cũ incolæ, nullam pretioſiſſimi theſauri rationẽ duxiſsẽt, nullo, vel certè exiguo honore ac cultu DEI genitricẽ dignati eſſent, tanq̃ indignis poſſeſſoribus ereptum eſt. Fuiſſe aũt aliquãdo illic hoc Sacellũ teſtantur Illyrij vocibus & lacrymis, & frequentatione huius ſanctiſſimi domicilij; item magnificè cõſtructo tẽplo eo loco, quo anteq̃ illis auferretur, poſitũ fuerat.

Iam verò eorundẽ Angelorũ opera ſublata ædicula, trans mare per aëra vecta, in Lauretæ nobilis cuiuſdã fœminæ, (à qua nomẽ, Lauretanũ hodieq; retinet) ſylua in agro Piceno, ſeu, vt Itali vocant, Recanatenſi, collocatũ eſt. Vbi cum incredibili hominum piorũ cõcurſu, honoraretur, factũ eſt, vt ad eos exſpoliandos, & necandos, in ſylua ſeſe latrones abderẽt, ac plurimos illuc cõmeantes interficerẽt. Quod ſcelus diua Virgo execrata, domicilium aliò ſuũ transferri voluit. Ante annos circiter ducẽtos, quo tempore Terremanus Lauretano templo præerat, Paulus Renaldatij vir plenus fidei, cõfirmauit eidem Præſidi, auditione ſe à parẽtibus accepiſſe: abauũ ſuũ, Angelos per mare hãc ſacra-

ſacratiſſimam ædiculam portantes, & in ſylua collocãtes aſpexiſſe, eamq; ſæpe religionis ergò adiiſſe. Alius itẽ integerrimus vir Franciſcus Prior, eodem tẽpore, aſſeuerauit, à ſuis maioribus hoc Sacellum in ſylua viſitatum; & ab vno eorum, quemadmodũ in Montem duorum fratrum deportatum ſit, viſum eſſe.

Ob eã igitur quã dixi cauſſam, in duorũ fratrũ Montem, à S. Angelis deportatũ, & maxima hominũ frequẽtia celebratũ, donis ac muneribus pretioſis auctum & exornatũ eſt: fratribus hac ratione magnum quidẽ quęſtũ facientibus, ſed acerbè ꝓpter lucrum diſſidẽtibus.

Quapropter inde, iam quartò in viã publicam Recanati translatum eſt, ac ibi ſedem ſtabilem & quietam recepit: Quàm verò admiranda, quamque multa beneficia homines ibi conſequantur, declarant locus ipſe & templum, quo, quatuor tantùm muris ſine fundamento admirabiliter conſiſtentem ædiculã, eius origine adhuc latente, cinxerunt; in quo innumerabilis, tabellarum, cereorum, & aliorum munerum multitudo cernitur, quę beneficiorum acceptorum quaſi teſtis ſit.

Quæ autem de huius ædiculæ origine antè

ſunt

ſunt à nobis commemorata, hoc ferè modo fuerunt cognita. Cùm eo in loco, quo nunc, conſtituta iam eſſet, religioſiſſimo cuidam viro, Anno M. CC. XCVI. diua Virgo, noctu illa omnia patefecit. Quæ cùm ille quoque diſſemináſſet, ſexdecim optimis viris electis, id negotij datum eſt, vt in Galilæam profecti, domicilij huius veſtigia inquirerent, quæ cùm tandem indagáſſent: primum quidem, Sacellum illic fuiſſe, muro inſcriptum repererunt: tum ſpatium dimenſi, id neq; maius neq; minus eſſe eo, quod nũc occupat, deprehenderũt.

Nec illud prætereundum eſt, cùm feſto die natali B. Virginis Paulus à Sylua Eremita religioſiſſimus, ad Lauretanam ædem properaret, clariſſimi luminis ſplendorem 12. ferè pedes longum, latum autem ſex, ſupra templũ aëre ſereno conſpexit: atq; ex eo ſanctiſſimæ Virginis præſentiam diiudicauit.

Hæc ideò adiungẽda duxi, vt quæ Vergerius hæreticus peruerſiſſimus impugnauerit & irriſerit, Lector initiò ſtatim intelligat.

FRANCIS.

FRANCISCI TVRRIANI SOCIETATIS IESV, RESPONSIO APOLOGETICA AD CAPITA ARGVMENTORUM Petri Pauli Vergerij hęretici, ex libello eius inſcripto: DE IDOLO LAVRETANO, ad Ottonem Henricum Palatinum Rheni, inferioris & ſuperioris Bauariæ Ducem deſtinatum.

POST RECITATIONEM HISTORIÆ DOMVS LAVRETANÆ, quàm vulgo legendam vocant, quæ manu olim ſcripta, in eodem templo LAVRETANO ſeruatur, hæc argumenta hæreticus obiecit.

HÆc, inquit, hiſtoria ex diametro pugnat cum hiſtoria & doctrina Euangelij, Actuum Apoſtolorum, & totius ferè Scripturæ. quia Matth.1. dicitur: Cùm eſſet deſponſata mater Ieſu Maria Ioſeph, antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto. Ioſeph autem vir eius, cùm eſſet iuſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens: Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam. I. ARGVMENTVM.

Quis non videt Mariam fuiſſe in domum Ioſeph adductam, vt mos eſt maritis, & non Ioſephfuiſſe receptum vnà cum ſponſa in domo Ioachim & Annæ?

NICEPHORVS *cap.8. Eccleſiaſt. hiſtoriæ lib.1. Itaq; in Nazareth, inquit, cùm Ioſeph domicilium habens, ab Angelo Gabriele latum accepit nuncium, dicente: Aue gratia plena. Et cap.12. eiuſdem libri: Chriſtus, inquit, in domo Ioſeph circumciditur. Non ergo nutritus eſt in illo ipſo cubiculo in quo fuerat nata mater, ſed partim in domo Ioſeph, partim in Aegypto.* II. ARGVMENTVM.

RESPONSIO AD PRIMVM ET SECVNDVM ARGVMENTVM.

HIstoria ſeu legenda de puero Iesv nutrito Nazareth, in domo, in qua nata eſt ſancta Virgo, non diſcrepat ab hiſtoria Euangelij, vt hæreticus fingit, ſed cum ea magnopere conuenit. Ioſeph enim vir Mariæ erat, ſecundum Euangelium: Vir autem caput eſt vxoris; quare ſicut Maria Ioſephi erat, tanquam viri ſui & capitis, quia vxor eius: ſic etiam rectè domus Mariæ domus Ioſeph nominabatur à capite. In domo itaque Ioſeph habitabat Maria, cùm in domo ſua paterna habitabat, in qua nata, & ab Angelo ſalutata eſt, & puerum Iesvm nutriuit. Ita enim decebat, vt qui Mariam coniugem acceperat, non ad procreandum ſecundum legem coniugalem, ſed εἰς φυλακὴν καὶ συντήρησιν τῆς παρθενίας, vt ait Epiphanius Conſtant. in vita eius, quem Nicephorus Caliſtus citat; id eſt, ad cuſtodiam & conſeruationem virginitatis eius, in domum paternam eiuſdem Virginis Mariæ, in qua habitabat, veniret, & ibi remaneret cum ea. Sic intelligendum eſt quod dixit Nicephorus de infante Iesv in domo Ioſeph circumciſo, domum enim Ioſeph vocauit domum paternam Mariæ (vt dixi) in qua cum Ioſeph habitabat, & cuius tanquam viri ſui, erat ipſa & domus ipſius paterna. Quis enim hodie ſic loquitur vt domum cōiugum ab vxore, & non à viro nominet, quamuis ſit domus vxoris? Pugnat ergo hæreticus cum conſuetudine quotidiani ſermonis, & cum ſenſu communi, cùm negat domū Mariæ dici domum Ioſeph. Præterea etiam quis ignorat nomen domus, familiam quoque ſignificare, non ſolùm conſuetudine ſermonis familiaris, ſed ſecundum idioma Scripturæ. Vt cùm ait Ioannes cap. 4. Credidit & tota domus eius. Quare cùm ait Nicephorus, circumciſum eſſe Iesvm in domo

domo Ioſeph; domum poteſt vocare eos omnes qui cum
Ioſeph erant, MARIAM ſcilicet, & alias perſonas domeſti-
cas,quæ erant omnes domus Ioſeph viri MARIÆ, id eſt, fa-
milia Ioſeph,in qua circumciſus eſt CHRISTVS filius eius vt
putabatur. Si locutus eſt Epiphan. Conſtant. quem ſequitur
& citat Nicephorus, cùm de vita Virginis ſcribens ait: Et a-
ſcendit Ioſeph à Galilæa in Iudæam σὺν ὅλῳ τῷ οἴκῳ id eſt,
aſcendit cum tota domo ſua, vt deſcriberetur: in domo igi-
tur ſua, id eſt, in ſuis numerauit Virginem, cum qua impri-
mis aſcendit. Accedit huc, quod Ioſeph ex Bethlehem erat,
vbi habitabat,& non ex Nazareth. Quod ex eodem Epipha-
nio Conſtant. intelligi poteſt, qui genealogiam Ioſeph ex
habitatoribus Bethlehem deſcribit. Immò ex Euangelio Lu-
cæ conſtat aſcendiſſe Ioſeph ex Nazareth in Bethlehem,quę
erat in tribu Iuda, & ciuitas Ioſeph. Atque ita non eſt veriſi-
mile, cùm eſſet Ioſeph alioqui pauper architectus, quod
domum haberet in Nazareth, qui non habebat in Bethle-
hem ciuitate ſua;alioqui ad eam diuertiſſet,vt par eſt crede-
re. Diuertit autem, vt narrat idem Epiphanius, ad ſuburbiũ
Bethlehem, vbi erat quidam locus, poſſeſſio Salomes, vbi
erant animalia; quia nõ erat,vt ait Euangelium,locus in di-
uerſorio. Cùm ergo ait hæreticus: Quis non videt MARIAM «
fuiſſe in domum Ioſeph adductam,vt mos eſt maritis,& non «
Ioſeph fuiſſe receptum vnâ cum ſponſa in domo Ioachim & «
Annæ? Reſpondemus; Immò quis non videt ſæpe non ſer-
uari morem; vt ſi ſponſa ſit hæres paternorum bonorum,
aut domum accipiat in dotem,aut libeat viro alia cauſſa ha-
bitare cum vxore in domo eius paterna? Quis etiam ignorat
exempla Scripturæ? cùm Iacob 20. annis in domo vxorum
ſuarum habitauit, & diu etiam Moyſes in domo ſoceri cum
vxore? Cùm autem ait Nicephorus, habuiſſe MARIAM domi-
cilium cum Ioſeph, & in domicilio Ioſeph ſalutatam fuiſſe

ab Angelo: non dixit fuiſſe domum Ioſeph; etſi (vt iam dixi) rectè poterat vocari domus Ioſeph, cauſſam dixi, & conſuetudo loquendi nota eſt; ſed dixit: συνοικοῦσα, id eſt, cohabitans cum Ioſeph, ſalutata eſt ab Angelo.

III. ARGVMENTVM. *LVCAS in Actis Apoſtolorum nullam facit mentionem de myſteriis in iſta domo completis; quare ergo dicit hiſtoria quod Apoſtoli illam in Eccleſiam conſecrârunt, & tamen omnia Apoſtolorum geſta diligenter ſcribit? Qui in ſcribenda hiſtoria tacet ea quæ vera & magna ſunt, is profectò dignus eſt qui pro mendace habeatur; & procul dubio res magna eſt iſta.*

IIII. ARGVMENTVM. *NEC in Actis Apoſtolorum, nec in Euangeliis legimus, Apoſtolos vllam conſecràſſe Eccleſiam, ergo non iſtam; neq; Deum iuſiſſe vt ſibi vel matri, vel ſanctis ædificaretur Eccleſia, excepto templo Hieroſolymitano.*

RESPONSIO AD TERTIVM ET QVARTVM ARGVMENTVM.

CVM Apoſtolus ſcribat Theſſalonicenſibus, & per eos nobis: Seruate & tenete traditiones quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam noſtram, & conſuetudo ſit idoneus teſtis Apoſtolicæ traditionis, vt Tertullianus doctiſſimus auctor & peruetuſtus, in libro de corona militis, ait: Quanta eſt temeritas hæretici, qui quia nō ſit mentio in Actis Apoſtolorum de conſecratione ſanctæ domus, & de myſteriis in ea celebratis, inſanè vult, vt quod per tot ſecula auditum eſt, & per tot ſeculorum teſtes affirmatum, de cōſecratione ſcilicet Eccleſiarum, ac proinde de conſecratione ſanctæ domus, falſum ſit ob id ſolum, quod ipſe nollet verum eſſe, & quia non credit ipſe. Dicat igitur ipſe, vnde tā vetus omniū Eccleſiarū cōſuetudo de conſecrandis Eccleſiis, quæ in Conciliis & Epiſtolis priſcorū Pontificū, & in libris antiquorū ab omnibus qui ea omnia legunt, notatur, ad diuina

officia

officia celebranda, proficiſci potuit, niſi ex Apoſtolorũ traditione, qui ita docuerunt? & ſicut docuerũt & Eccleſiis tradiderunt, ita Eccleſiæ ipſæ acceperũt; & ſicut acceperunt, ita in hunc vſq; diẽ ſeruauerunt, & vſq; ad conſummationem ſeculi ſeruabunt; iuxta præceptum B. Ioannis: Quod audîſtis, inquit, ab initio, hoc permaneat in vobis. Ait igitur hæreticus, negandũ eſſe fuiſſe ſanctam domum Lauretanã conſecratam à S. Apoſtolis, vt eſt in hiſtoria ſiue legenda ſanctæ domus, quia non legitur in Euangeliis, vllam Eccleſiam Apoſtolos conſecrâſſe, neque DEVM iuſſiſſe, vt ſibi, vel matri, vel ſanctis ædificarentur Eccleſiæ, excepto templo Hieroſolymitano; vt iam ſi demonſtratum fuerit, iuſſiſſe DEVM in Scriptura ſancta, ædificari ſibi templa in nouo Teſtamento, & ea ſanctificari, non ampliùs litem hæreticus facturus ſit de conſecratione Apoſtolica ſanctæ domus, quæ in nomine Domini DEI, Virgini dedicata eſt, quamuis non legatur in Actis Apoſtolorum, nec in Euangeliis. Eſaias ergo cap. 56. cùm dixit: Domus mea, domus orationis vocabitur cunctis gentibus; quod Dominus in Euangelio Matth. 21. Iudæis exprobrauit; non de ſolo templo, ſed de Eccleſiis noui Teſtamenti accipiendum eſſe, ex ipſis verbis Prophetæ neceſſariò intelligi debet. Templum enim vetus, quod iam in æternum deletum eſt, nunquam vocatũ eſt domus orationis ab omnibus gentibus, ſiue ab omnibus populis, quia non à populis gentilium, quod in nouo Teſtamento impletum eſt. Eccleſia autem domus orationis, ſcilicet publicæ & communis efficitur per conſecrationem ſiue ſanctificationem, quæ fit per verbum & orationem, à principio vt neceſſe eſt, à ſanctis Apoſtolis traditam; cuius typus fuit conſecratio ſiue ſanctificatio illa templi Hieroſolymitani. Siquidem vmbram habebat lex, ſicut Apoſtolus ait, futurorum bonorum; futurorum inquam, in lege noui Teſtamenti. Si enim ſacrificia ve-

tera in templo facienda, & ceteræ Sacramentorum vmbræ ibi celebrandæ, requirebant ſanctificationem loci per verbũ & orationem; quanto magis in templis noui Teſtamenti, in quibus ipſum verum ſacrificium & vera Sacramenta celebrantur? Quod ſi illa veteris templi ſanctificatio non habebat vmbram veræ ſanctificationis in templis legis gratiæ, igitur in hac parte non eſt facta gratia & veritas per IESVM CHRISTVM; neque verum eſt vſquequaque quod Apoſtolus in vniuerſum dixit: Vmbram habebat lex futurorum bonorum. Quod verò in eo loco Eſaias de Eccleſia noui Teſtamenti prophetat, ne hoc hæreticus negare audeat, conuincitur ex prophetia eiuſdem loci, cùm dixit paulò ſuprà: Et filios aduenæ ſiue alienigenas, qui adhærent Domino vt colant eum, & ſint ei in ſeruos, omnem cuſtodientem Sabbathum, ne polluant illud, & tenentem fœdus meum; & adducam eos in montem ſanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ. Holocauſta eorum, & victimæ eorum placebunt mihi ſuper altari meo, quia domus mea, domus orationis vocabitur cunctis gentibus. Quem locum interpretans beatus Cyrillus in Commentariis eruditiſſimis Prophetæ huius: Loquitur, inquit, cum gentibus, quæ quidem per fidem coniunctione ſpirituali cum DEO copulantur; qui gloriam ſuam in ſeruitute DEI ſitam eſſe volunt; & nomen DEI ita amant, vt iugum regni eius omni obedientia ſubeant, nec amplius Deos alienos ſequantur. Qui ita ſeruant Sabbatha eius, CHRISTI ſcilicet, vt non prophanent ea. Sabbathizant enim ſpiritualiter, quia ingreſſi ſunt in requiem CHRISTI. Huiuſmodi ergo alienigenas promittit introducere in montẽ ſanctum. Deinde ſubiungit: Prohibuit quidem lex alienigenis ingreſſum in templum: Non ingredietur, inquit, Amonites & Moabites in Eccleſiam Domini. at CHRISTVS qui in nouitatem ſpiritualem omnia tranſtulit,

Deut. 23.

lit,in montem ſanctum, id eſt,in Eccleſiam, introducit alienigenas,& delectabo eos,inquit,in domo orationis meę; ſcilicet chariſmatibus & ſpe Sacramentorum. Hactenus Cyrillus. Quis præter hæreticos,qui Eccleſias non habent, ſed ſpeluncas, non videt impleri hæc in Eccleſiis noui Teſtamenti apud Catholicos? quanta verò inprimis celebritate,& quanta lætitia & frequentia longinquis & diuturnis peregrinationibus ex cunctis Orbis terrarum oris, prouinciis, regionibus ac gentibus ſuſceptis impleatur in ſanctiſſima domo Virginis Lauretana, teſtis eſt cunctus Orbis; fremant licet & rumpantur hæretici,ſicuti dæmones fremunt,qui ibi die ac nocte cruciantur. Alter locus eſt Aggæi Prophetæ. Hortans ergo Aggæus Iſraëlitas poſt reditum Babylonem ad inſtaurationem templi diruti,vt eſt in libro Eſdræ primo: Quis in vobis, « inquit, eſt derelictus, qui vidit domum iſtam in gloria ſua « prima? & quid videtis hanc nunc, quaſi non ſit in oculis ve- « ſtris? Et paulò pòſt: Ego,inquit,implebo domum iſtam glo- « ria, dicit Dominus exercituum. Hunc locum interpretans « idem Cyrillus Alexandrinus in Commentariis huius Prophetæ: Quia,inquit,timebant Iſraëlitæ ne templum pro dignitate ædificare poſſent, cùm deberet Propheta ad eos cõfirmandos loqui de illo templo ſecúndo, ad cuius ædificationem hortabatur,quod plus erat,de noſtro ἐκ περιουσίας, id eſt, ex ſuperabundanti, vt ita dicam, prophetare maluit,vt ſic eos doceret in eò ſpem ponere, qui hoc noſtrum templũ, multò illo admirabilius aliquãdo ædificaturus eſſet. Tanto enim,inquit,glorioſius eſt templum quod in aduentu Christi extitit,quàm vetus illud: quanto præſtantior eſt cultus ſpiritualis,quàm cultus ex lege Moyſis; & veritas,quàm vmbra. Præterea, inquit, in templo Hieroſolymitano olim licebat ſacrificare, nec aliud templum erat præterquam illud: at poſt aduentum Christi omnia loca plena ſunt tem-

plis & Eccleſiis, & vt Malachias ait: Nunc in omni loco offertur thymiama nomini meo, & ſacrificium mundum. Hactenus Cyrillus. Immò Paulus in Epiſt. ad Hebræ. cap. 12. interpretatus eſt de Eccleſia noui Teſtamenti ſecundum hiſtoriam, & non de templo veteri prædictum eſſe hoc, ſiquidem ad myſterium noui Teſtamenti retulit Aggæi de domo iſta nouiſſima, prophetiam, cùm ait: Cuius vox mouit terrã tunc, nunc autem repromittit, dicens: Adhuc ſemel, & ego mouebo non ſolùm terram, ſed & cœlum. Sequitur autem ſtatim in Aggæo poſt hæc verba: Et veniet deſideratus cunctis gentibus, & implebo domum iſtam gloria; & quæ ſequũtur. Eccleſia noſtra eſt domus illius deſiderati gẽtibus, quem dicit Aggæus, id eſt, Christi, & non illud templum ſecundũ vetus, quod Christvm non recepit, ſed occidit; & ideò non fuit Christvs gloria eius, ſed potius ruina, ſiquidem propter cędem, qua eum affecerunt Iudęi, vaſtatum fuit in ſempiternum. Explanans deinde idem Cyrillus quid eſſet, mouere nõ ſolùm terram, ſed & cœlum, quod Paulus ex Aggæo citauit: Cognouit, inquit, cœlum myſterium quod Paulus teſtatur, cùm ait: Vt innoteſceret principatibus & poteſtatibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei. Cognouit ſimiliter vniuerſa terra & mare, id eſt, Inſulæ, quia prædicatum eſt Euangeliũ in omnibus gentibus. Deinde ſubiungit: Et implebo domum iſtam gloria, ſcilicet ſunt credentes velut donaria templi. Quod autem nõ indigeat Devs ornatu materiali, nec eum requirat, ſed magis ſpiritualem, declarat, cùm ait: Meum eſt aurum, &c. quod perinde eſt ac ſi diceret: Ne exiſtimetis fore inglorium meum templum, quia careat auro & argento, & ſplendore ex diuitiis, nec enim his indigeo, cùm mea ſint omnia. Hactenus Cyrillus, qui Pauli auctoritatem ex Aggæo citatam ſecutus, locum Aggæi de Eccleſia noui Teſtamenti, nouiſſima domo Dei, ſecundum ſenſum hiſtori-

hiſtoricum & primum interpretatur, & non allegoricè; quaſi prius ſecundum hiſtoriam de domo ſecunda vetere intelligendus ſit locus, quæ fuit ſententia & interpretatio Theodori Mopſueſtiæ hęretici. De quo genere interpretandi ſcripſi copiosè in explanationibus apologeticis locorum Clementis Rom. de conſt. Apoſt. lib. 2. cap. 5. Sicut ergo hoc teſtimonio cogimus Iudæos vt deſinant ſomniare aliam templi Hieroſolymitani ædificationem, quia hęc domus, de qua Aggæus prophetat, neceſſe eſt vt ſit noſtra; ſiquidem gloria huius nouiſſimæ maior eſt, quàm fuit gloria primæ, & gloria ſecundæ non fuit maior, quàm primæ. Nam etſi in domo ſecunda fuit CHRISTVS, tamen quia non recepit eum, nec in eum credidit, (caro autem non prodeſt quidquã, ſicut Dominus dixit; Spiritus enim eſt qui viuificat) idcirco gloriam CHRISTI illa ſecunda domus non participauit. Quare cùm ſit hæc noſtra nouiſſima, conſequens neceſſariò eſt, vt poſt eam non ſit alia ædificanda; alioqui non eſſet nouiſſima, & falſa eſſet prophetia. Quomodo igitur ſi Eccleſiæ noui Teſtamenti gloriam habent maiorem, quàm templum illud primum magnificum Salomonis, loca communia & prophana eſſe poſſunt? & non potiùs glorioſa, benedicta & ſanctificata? Sed doceamus adhuc clarius in hoc ipſo Propheta, domum ſcilicet, de qua Aggæus prophetat hîc, id eſt, templũ Chriſtianorum, locum eſſe DEO ſanctificatum, qualis eſt domus ſancta Lauretana. Quia enim dixerat Propheta, implendum eſſe gloria locum huius domus nouiſſimæ, in qua omnia futura eſſent ſpiritualia, quorum vmbræ omnia illius veteris templi fuiſſent; vt admoneret quanta reuerentia & religione tum ipſe locus ſanctus, tum ipſius loci vaſa ſancta tractanda eſſent, iuſſit Dominus Prophetæ, vt duas quæſtiones ſacerdotibus poneret: Interroga, inquit, ſacerdotes le- "
gem: Si accipiat homo carnem ſanctã in ſumma parte pallij, "

 & te-

,, & tetigerit ſummum pallij eius panem aut obſonium aut vi-
,, num, ſi ſanctificabitur? & reſponderunt Sacerdotes, & dixe-
,, runt: Nequaquam. Et dixit Aggæus: Si tetigerit pollutus in
,, anima de omnibus his, ſi polluetur? & reſponderunt Sacer-
,, dotes, & dixerunt; polluetur. Et reſpondit Aggæus & dixit:
,, Sic populus hic, & ſic gens iſta ante faciem meam, dicit Dominus. Bene interpretatus eſt hunc locum in Commentariis huius Prophetæ, Theodorus Antiochenus alioqui hæreticus: Voluit, inquit, dicere Propheta, quod quemadmodum pallium non poteſt quia ſanctúm tetigerit, aliud quidpiam ſanctificare; pollutus verò ſancta tacta polluit: Sic exiſtimare oportet, cùm vos temerè & ſine vlla ratione religionis attrectatis ſancta, & vaſa & quæcunque alia ad Devm pertinent, non ſanctificat vos illorum ſanctitas, ſed potiùs mores veſtri polluti, dedecus & contumeliam ſanctis inferunt; quia ea non vt decet, tangitis. Vnde, inquit Propheta, quicumq; appropinquauerit ibi, id eſt, conſecratum tangit; ſi negligenter & per contemptum, non vt decet, appropinquauerit, nõ ſolùm nullum fructum ex tactu percipiet, ſed potius polluetur, incommodo & damno accepto. Hactenus Theodorus iſte. Si igitur hæreticus, qui de omnibus verbum Dei requirit, & traditiones Apoſtolorum non ſcriptas, non recipit, quærat vbi in Scriptura aliquid de conſecratione Eccleſiarũ contineatur; reſpondetur ei: contineri in Scripturis, in quibus continetur Eccleſias noui Teſtamenti futuras fuiſſe domos orationis glorioſas & ſanctificatas. Sanctificatæ enim eſſe non poterant, niſi per verbum & orationem, vt in Epiſt. ad Timoth. de cibis ſcripſit Apoſtolus. non enim etſi de cibis loquebatur, quod dixit de ſanctificatione ciborum, propter cibos tantùm dixit: Omnis enim ſanctificatio fit per verbum Domini, qui ſanctificat; & per orationem accomodatè ad eam rem, quæ ſanctificatur. Sed dicet hæreticus, ne ſic quidem

dem̃ conuinci ſanctificatam ſiue conſecratam eſſe domum ſanctam Lauretanam à ſanctis Apoſtolis, vt hiſtoria ſiue legenda dicit,& proinde falſum eſſe. Immò conuincitur. Si enim voluerunt,ſicut religioni ac pietati & reuerentiæ erga Devm conſentaneum erat,ſeparare ab vſu communi & prophano domum iſtam,ortu ſanctiſſimo matris Dei, & ſacroſancto myſterio incarnationis,& ſacra educatione pueri Iesv nobilitatam & inſignitam (quis enim niſi hæreticus hoc negare audeat?) ſciebant autem ſecundum Scripturas Prophetarum & doctrinam Christi,ſicut ipſi per prædicationem ſuã tradiderunt,ſanctificandas eſſe Eccleſias; ſi, inquã, hoc voluerunt, quis dubitare poterit, quin hoc fecerint dum viuebant, & non aliis poſtea faciendum hoc reliquerint? Per ſanctificationem autem & conſecrationem ſeparantur ab vſu communi loca alioqui communia. Sanctificauerunt igitur & conſecrauerunt ſancti Apoſtoli dum viuerent, domum ſanctam Lauretanam, ſicut hiſtoria narrat. Reperi quædam Scholia Chryſoſtomi in Euangelium Ioannis, & Marci Græcè; in quibus inter alia hoc erat notatum, quod cùm omnes Apoſtoli fugiſſent, ſolus Ioannes remanſit iuxta crucem; & ad ſepulchrum priuſquam Petrus,venit. Item quòd matrem Dei accepit in propria,id eſt,in domum ſuam,in Sion matre Eccleſiarum. Hæc enim erat domus eius;illuc confugerunt Apoſtoli propter metum Iudæorum; illic apparuit diſcipulis Iesvs poſt reſurrectionem clauſis ianuis; illic dedit eis Spiritum ſanctum; illic die octaua reddidit certum Thomam;illic præparatum fuit vt commederet Paſcha cum diſcipulis; illic hymno dicto exierunt in montem Olіueti in locum Gethſemani;illic primùm celebrauerunt myſterium diſcipuli,(miſſam intelligit) hìc elegerunt primum Epiſcopum Iacobum fratrem Domini. Congruit cum his quod ait Eſaias: De Sion exibit lex, & verbum Do-

mini de Hieruſalem. In hac enim domo patris Ioannis acceperunt Apoſtoli Spiritum ſanctum ad prædicandum Euãgelium per vniuerſum mundum. Hæc eadem legi in fragmẽto Chronici Hippolyti Thebani Græcè. Eadem ſcribit Epiphanius Conſtant. ab illis ſumpta quos dixi. Erat præterea in Scholiis, quæ dixi, Chryſoſtomi, quod Zebedæus pater Iacobi & Ioannis Euangeliſtæ, erat ex nobilibus Galilææ primus, eratque ἰδιο ναύκληρος, id eſt, habebat nauem ſuam. Hinc Ioannes filius eius ait de ſe: Erat diſcipulus notus Pontifici; idem dicit Hippolytus. Hic ergo Ioannes poſt mortem Zebedæi patris, vendidit quæ in Galilæa poſſidebat, & emit Hieroſolymis domum in Sion, vnde notus Pontifici dicitur. Hic recepit Virginem in domum ſuam in Sion, vſque ad eius aſſumptionẽ. Hactenus Chryſoſt. Si igitur eam domũ, quæ iam facta erat communis omnium Apoſtolorum, in qua hæc facta ſunt, Apoſtoli ſancti ſic honorare voluerunt propter tot myſteria ibi geſta, vt in ea poſt aduentum Spiritus ſancti, primum celebrarent myſterium myſtici ſacrificij; quomodo poſt aſſumptionem Virginis, ſanctam domum eius non honorarent, celebrando in ea myſterium illud, cui ipſa Virgo principiũ dedit, cum filio Dei prebuit vnde homo propter ſalutem humani generis fieret? Vt autem ibi decenter celebrarent, quis niſi hæreticus dubitabit, quin cũ locum, vt domus orationis fieret, per verbum & orationem ſecundum propheticam doctrinam, & ſecundum doctrinam quam à Chriſto acceperunt & nobis tradiderunt, priùs ſanctificâſſent.

V. Argumentum. *D. Lucas non depinxit, nec opere fecit imaginem Lauretanæ Virginis; quia ſcriptum eſt: Non facies tibi ſculptile.*

Cur prohiberet Devs facere ſculptile, etſi ſatis declarat Scriptura, Exod. 20. Magis tamen adhuc declarat Paulus in Actis Apoſt. cap. 17. Genus ergo, inquit, cùm ſimus Dei,

non debemus exiſtimare auro, aut argento, aut lapidi, ſculpturæ artis & cogitationis hominis, diuinum eſſe ſimile. Hoc etiã ſignificabat, licet obſcurius, quod dixit Scriptura Exod. 20. Nec omnẽ ſimilitudinem quæ eſt in cœlo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis. Idcircò igitur prohibebat Scriptura facere ſculptile, ne exiſtimaretur ab illo populo vetere, procliui & facili ad idololatriã, Devs ſimilis ſculptili; ex quo fieret, vt facilè ab illis ſic exiſtimantibus ſculptile ipſum haberetur pro Deo, & pro Deo coleretur. At populus Chriſtianus extra hoc periculum eſt, cùm imagines ſanctorum facit. Omnes enim ſciunt, præter hæreticos qui ſcire hoc nolunt, ſanctos eſſe Dei ſeruos, & omnes Angelos miniſtros eius. Quod quidem Moyſes docere voluit, cùm non fugit neque formidauit Cherubinos facie humana facere, ex vtraque parte propitiatorij tanquam ſatellites & ſtipatores in ſummitate vnius partis, & in ſummitate alterius. Conueniunt cum his quæ beatus Cyrillus in Commentariis Abacuc Prophetæ ſcripſit, interpretans verſiculum illum: In medio duorum animalium cognoſceris. Quod ſi quis, inquit Ioannes, peccauerit, paracletum habemus apud patrem, Iesvm Christvm iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Qui quidem, etſi à patre conſtitutus eſt propitiatio noſtra, non tamen deſinit eſſe quod erat, id eſt, Devs; ſed eſt in eadem poteſtate & gloria. Rurſus enim adſtant illi ſuperæ poteſtates, ſua munera obeuntes, idcircò Cherubini propitiatorium vtrinq; ſtipant, & in eum intuentur. Id enim facere ſolent Angeli, cõtemplari ſcilicet Devm ſemper, & in ea intentos eſſe quæ Deo placent, & grata ſunt. Hactenus Cyrillus. Sic igitur nos ſanctos tanquã famulos Dei depingimus, ſicut illi Cherubini tanquam miniſtri Dei ſculpti ſunt. Et ſicut Cherubini iuſſu Dei facti ſunt ad cultum eius, & gloriam celebrandam; ſic imago Vir-

ginis Lauretanæ voluntate Dei facta eſt.

VI. ARGVMENTVM. *Quomodo Apoſtoli celebrârunt in ea domo diuina officia, ſi in Eccleſia Chriſti nullus eo tempore erat vſus Eccleſiaſtici officij?*

Non intelligit hæreticus quæ dicantur, & ſint diuina officia. Sunt enim laudes Dei, & quæ Apoſt. in Epiſt. 1. Tim. cap. 2. præcipit, primùm fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in ſublimitate conſtituti ſunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & caſtitate. Hoc enim bonum eſt, & acceptum coram Saluatore noſtro, qui omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Beatus Auguſt. in Epiſt. 59. ad Paulinum, quæſtione 5. hæc quatuor genera orationis in miſſa côtineri ait, quæ ibidem interpretatur. Sed eruditius quàm cæteri interpretatur Athanaſius in Comment. Pſal. 25. vbi notat exempli gratia in quibus pſalmis obſecrationes, in quibus orationes, in quibus poſtulationes, & in quibus gratiarum actiones feruntur. In Canonibus Nicæni Concil. ex Arabico translatis 59. 60. 62. omnia officia Eccleſiaſtica, quæ hæc hiſtoria ſiue legenda Lauretanæ Virginis nominat, nomine orationis appellantur. Sic enim ait Canon 62. qui inſcriptus eſt, de officio horarum Eccleſiaſticarum: In omnibus, inquit, horis diurnis & nocturnis, in principio & fine, fiat cum deuotione memoria Epiſcopi, & oretur pro ſalute eius; & quæ ſequuntur. Et in alio Canone ait: Qui præeſt orationi, id eſt, qui præeſt diuinis officiis in Eccleſia. Immò & prædicatio verbi ad Eccleſiaſticum officium etiam pertinet. Cùm ergo ait hiſtoria ſiue legenda, celebrâſſe Apoſtolos officia Eccleſiaſtica in ſancta domo Virginis, Miſſam, quam vetere & Apoſtolicæ traditionis vocabulo appellamus, & horarum preces mane, tertia, ſexta, nona, veſpere, & media nocte ad Galli cantum intelligimus; de quibus eſt Apoſtolorum

conſti-

conſtitutio à Clemente Romano eorum diſcipulo in lib. 8. de conſt. Apoſt. cap. 34. ſcripta. Si ergo vbi nondum erat Eccleſia, quærebant ſancti Apoſtoli locum aptum ad orandum, ſicut Lucas ſcribit cap. 16. de Paulo & Sila cùm eſſent Philippis in Macedonia: Die autem Sabbathorum egreſſi ſumus foras portam iuxta flumen, vbi videbatur oratio eſſe, id eſt, locus aptus ad orandum, & ſedentes loquebamur mulieribus quæ conuenerant, & ibi conuerſa eſt ad fidem Lydia purpuraria. Et in carcere in eadem ciuitate, quia in alio loco non poterant orare: Cùm eſſent, inquit, in carcere, media nocte orabant & laudabant Dᴇᴠᴍ; & eos audiebãt qui erant in cuſtodia. Quomodo cùm erant S. Apoſtoli aliquando in Nazareth, non irent ad illam ſanctiſſimam domum ad Eccleſiaſtica officia, id eſt, ad orationem horarum, & ad prædicationem verbi, & ad ſacrificium Miſſæ? An dicemus poſt aſcenſionem Domini in cœlos, nunquam eos in Galilæam, vbi erat Nazareth, deſcendiſſe? quis hoc niſi amens dicat? Aut ſi deſcendebant aliquando in Galilæam ex Hieruſalem, quis credat non iuiſſe eos ad venerandum ſanctiſſimum locum incarnationis verbi Dᴇɪ? aut quo alio modo magis honorare & venerari illum poterant & debebant, quàm diuina officia, quæ vocamus, ibidem celebrando? Deniq;, vt ſemel finiam, ſi Paulus præcepit, primùm quidem fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus; & hæc, vt auctor eſt Auguſtinus, & teſtis vſus omnium Eccleſiarum à ſanctis Apoſtolis traditus, Eccleſiaſtica officia dicuntur, & ſunt: quomodo quod Apoſtolus facere aliis præcepit, ipſi ſancti Apoſtoli non faciebant? aut ſi faciebant, vbi, cùm in Galilæam deſcendebant, & in Nazareth veniebant, decentius, religioſius & iuſtius facere debebant, quàm in ſancta domo matris Dᴇɪ?

VII. ARGVMENTVM.

Cur dicit hiſtoria Lauretana tranſtuliſſe Angelos domum diuæ Mariæ ex Oriente ad nos, cùm ille populus deſeruit fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti? cùm conſtet anno 600. Mahumetum diſſeminâſſe ſectam ſuam vſque ad mediam Iudæam; ſi poſt 1200. cur Hiſtoriographi & alij Scriptores de re tam inſigni nullam mentionem fecerunt? vel ſi populi propter diminutionem fidei Chriſtianæ digni non erant ſanctiſsima iſta ædicula, cur tamdiu poſt amiſsionem, aut certè diminutionem fidei, apud illos eſt relicta? Si Angeli non ſunt paſsi ſacram ædiculam eſſe inter contemptores, cur paſsi ſunt, & patiuntur ſacrum ſepulchrum, natiuitatis & paſsionis locũ eſſe apud infideles?

Non eſt ſancta domus translata ab Angelis anno 600. cùm ait hæreticus diſſeminâſſe Mahumetum ſectam ſuam vſque ad mediam Iudæam, immò nec anno 700. cùm capta Fœnice, Palęſtina, Syria tota, & Ægypto, Africam Mahumetani inuaſerunt; quia nondum erant completæ iniquitates eorum qui fidem deſeruerant, ſicut Scriptura Geneſ. 15. ait, de illis 10. gentibus terræ Canaan, quam ſemini Abrahæ poſt quadringentos annos peregrinationis promittebat: Quarta, inquit, generatione reuertentur huc; necdum enim completæ ſunt iniquitates Amorræorum vſque ad præſens. Significat enim his verbis iuſtè quidem illas gentes propter peccata expellendas eſſe, nondum tamen ſe expectâſſe, quãtum pro ſua benignitate expectandum eſſe decreuiſſet, ne ante tempus decretum punirentur; ſicut apud Eſaiam cap. 31. de Aſſyriis puniendis. Non ante tempus, inquit, exigeris, id eſt, punieris. Sic enim beatus Cyrillus interpretatur. Quid? ſi quamdiu non fuit illinc domus ſancta tranſportata, poſtquam fidem illi populi deſeruerunt, tamdiu fuerunt in Palæſtina aliqui iuſti? decem enim iuſti quamdiu ſunt, ſeruant ciuitatem; immò quinque apud ſeptuaginta interpretes, ſicut Dominus Geneſ. 18. Abrahæ promittebat, cùm vellet Sodomam ſubuertere. Dici itaq; poteſt ſecundum idioma

Scriptu-

Scripturæ, pœnituiſſe DEVM propter nequitiam & infidelitatem illorum populorum & gentis, quòd collocâſſet ibi domum ſanctam conceptus ſui, & ſacroſanctæ incarnationis. Pœnitentia autem in Scriptura φιλανθρωπία eſt, vt veteris Scripturæ ſanctæ interpretes notauerunt; id eſt, charitas aduerſus homines. Sic in Saule: Pœnitet me, inquit Dominus, 1. Reg. 15. quòd conſtituerim Saul Regem, quia dereliquit me, & verba mea opere non impleuit. Sed quòd populus commiſerat malè petendo Regem, pro benignitate ſua & miſericordia in melius vertit Dominus. Excitauit enim Regem Dauid, qui fecit omnes voluntates eius; ſicut idem Dominus facturum eſſe prædixerat. Hoc enim ſignificabat, & hanc vim habebat quod dixit Dominus in Scriptura: Pœnitet me quòd conſtituerim Saul Regem. Similiter etiã cùm vellet DEVS facere principium nouæ vitæ futuræ, & genus Cain cum impiis funditus per aquam delere, & Noë qui ſolus in generatione ſua placuerat DEO, ex quo Abraham profecturus erat, & ex ſemine Abrahæ, id eſt, CHRISTI, ſalus mundi: cum paucis, id eſt, octo animis, ſeruare conſtituiſſet: Pœnituit, inquit Scriptura, quòd hominem feciſſet. Similis fuit pœnitentia DEI de domo ſanctæ Virginis in Nazareth ædificata, propter infidelitatẽ terræ illius; quam quidem domum, propter charitatem ſuã in homines, quos creauit & redemit, in eum locum & eam regionem miniſterio Angelorum ſuorum tranſportauit, vbi nunc eſt. In quo quanta pietate, frequentia, celebritate, quanta gloria & ſplendore miraculorum, quanto fructu vitæ conuertentium ſe ad Dominum, ex omni parte terrarum quæ ſub cœlo eſt, cunctus orbis teſtis eſt, & teſtes eſſe poſſunt hæretici, ſi venire & videre velint, vtrum domus iſta, in qua tot miracula & virtutes DEI frequenter fiunt, ſit à Nazareth; ſicut Nathanaëli, cùm audîſſet ex Philippo: Inuenimus quem

ſcripſit Moyſes in lege, & Prophetis, Iesvm filium Ioſeph à Nazareth; reſpondiſſetque idem Nathanaël: A Nazareth poteſt aliqui boni eſſe? dixit Philippus: Veni & vide. Similiter cum primùm fuit ſancta domus ex Galilæa, vbi eſt Nazareth, translata in Dalmatiam, opus diuinæ prouidentiæ fuit ad prouocãdos populos illos & gentem ad pietatem in Devm, per cultum matris Dei. Quod verò rurſus pœnituit Devm eò tranſtuliſſe domum matris ſuæ, quòd ibi non honoraretur vt Virginem matrem Dei & dominam noſtram decebat, fuit iſthæc pœnitentia, ſicut paulò antè pœnitentiam Dei in Scripturis ſecundum idioma earum expoſui, ingens charitas Dei erga cunctum orbem, ſiquidem in eum locũ & regionem tranſtulit, vbi, quanta religione honoretur, colatur, celebretur, totus mundus prædicat. Et ſi taceret, ipſi lapides clamarent, ſicut Dominus dixit Phariſæis illis, qui turbis illis, quæ Devm magna voce, vt ait in Euangelio ſuo Lucas, cap. 19. laudabant, ſuper omnibus quas viderant virtutibus; inuidia & dolore ſtimulati & puncti, dicebant: Magiſter increpa diſcipulos tuos. Phariſæos illos imitatur nũc hæreticus iſte ſimili inuidia & dolore ſtimulatus; immò aliquid aliud facit amplius quàm illi Phariſæi, quos non legimus increpâſſe turbas: hic autem, quod peius eſt quàm increpare, calumniis armatus inuehitur in ſanctam domum, & in miracula diuinæ potentiæ, atque in prouidentiam infinitæ charitatis Dei, cuius nutu & virtute per miniſterium Angelorum translata eſt; ſicut ex Galilæa priùs, ſic etiam poſtea ex Dalmatia; & non vt hæreticus ad commouendã inuidiam, in hiſtoria ſiue legenda dici fingit, quaſi ipſa Virgo, ſuo nutu & virtute ad deferendum honorem, non filio, ſed ſibi, domum ſanctam tranſportâſſet. Sic enim ait hæreticus impiè exprobrans Virgini humilitatem, quam illa in Cantico ſignificauit, cùm dixit: Quia reſpexit humilitatem

ancillæ ſuæ;illam dico quam præ ſe tulit, quæ fuit ſumma; cùm dixit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbũ tuum. Præclarè enim ſcripſit S. Diadochus Epiſcopus Photices in Epiro, loquens de humilitate quam præ ſe tulit S. Ioannes Baptiſta, cùm paſſus eſt à ſe CHRISTVM baptizari. Cùm enim prius recuſationẽ excuſaret, inquiens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? ſtatim audiuit Dominũ reſpondentem: Sine modò, ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam. Tunc dimiſit eum; ait Matthæus Euangeliſta. Hæc fuit magna Ioannis obedientia. Nihil autem, ait S. Diadochus, eſt humilius obedientia. Tantò autem maior & excellentior fuit humilitas Virginis, quàm Ioannis Baptiſtæ præcurſoris, quam humilitatem obedientia peperit: quantò maius & excellentius fuit myſterium conceptionis verbi DEI, de Spiritu ſancto ex MARIA Virgine, quàm myſteriũ baptizandi. Cùm enim quaſi excuſans recuſationem aſſenſus, quem Angelus requirebat, dixiſſet priùs: Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco; continuò, vt audiuit reſponſum Angeli: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, &c. aſſenſum præbens & obedientiam: Ecce, inquit, ancilla tua, &c.

Rurſus quærit hæreticus in hoc octauo capite: *Si Angeli non ſunt paſſi ſacram ædiculam eſſe inter fidei contemptores, cur paſſi ſunt, & patiuntur ſacrum ſepulchrum, natiuitatis & paſſionis locum eſſe apud infideles?* VIII. ARGVMENTVM.

Reſponſum habeat hæreticus: hoc paſſos eſſe Angelos, & illud non paſſos eſſe, quia ſunt potentes virtute ad faciendum verbum illius, ſicut ait Dauid. Non dixit ad faciendum verbum ſuum, ſed verbum illius; quia miniſtri DEI ſunt, ſicut ait idem Propheta: Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis. Percontare ergo apertè hæretice, quod tectè & diſſimulanter percontaris, ne om-

nibus appareas in DEVM blaſphemus. Cur enim non audes palàm dicere, quod dicis opertè? cur inquam non quæris, quare DEVS paſſus eſt ſepulchrum ſuum, natiuitatis & paſſionis locum eſſe inter fidei contemptores, & non eſt paſſus ſacram ædiculam? ſiquidem Angeli omnia ad voluntatem DEI faciunt, tanquam miniſtri eius. Et quis es tu hæretice qui audes DEO dicere: cur ita facis? Quis cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? Quantò melius eſſet hæretice audire Scripturam ſanctam, quæ dicit in Sapientia Sirach cap. 3. Quæ præcepit tibi DEVS illa cogita ſemper, & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus. Non enim eſt tibi neceſſarium ea quæ abſcondita ſunt, videre oculis. Et ſi hoc ſatis erat ad reſpondendum hæretico, addam tamen quod
Quæſt. 45. magnus Athanaſius in quæſtionibus ad Antiochum principem notatum nobis reliquit, quomodo ſuadebimus barbaro & illiterato quòd Eccleſia Catholica, præter omnes ſectas, rectam fidem tenet, & non errat. Ad hanc quæſtionem reſpondet; interpretabor Latinè. Qui non poſſunt, inquit, ex Scripturis abſolutionem, perfectionemque & altitudinem dogmatum audire, quòd Eccleſia pietatem colat, & ab omni errore ſit libera, & pura, ex eo debent intelligere, quòd omnia loca veneranda ſalutis noſtræ, & paſſionum CHRISTI, Eccleſiæ Catholicæ & Orthodoxæ DEVS tradidit & concredidit. Nazareth dico, vbi CHRISTVS in nobis habitauit; Bethlehem, vbi natus eſt; Sion vbi ſalutem mundo operatus eſt; Iordanem, vbi Adamum renouauit; Thabor vbi regnum cœlorum præſignauit; montem Olivueti, vnde ad patrem ad cœlos aſcendit. Quæ omnia ſancta & veneranda loca non fruſtrà neq; temerè Eccleſiæ Catholicæ commiſit, ſed tanquam magis piè & honoratiori cæteris quæ apud Chriſtianos nominantur fides, & Eccleſiæ. Et ſicut rex magnos theſauros & honorata conclauia, fidelioribus miniſtris committit

mittit & credit:ſic CHRISTVS à principio aduentus ſui, loca ſua religioſa & veneranda Eccleſiæ Catholicæ commiſit. Quod ſi aduerſarius dicat, quòd hæc loca tyrannide regali teneamus, intelligat iſte, quòd tametſi barbari ſæpenumerò Palæſtinam obtinuerunt, tamen nunquam permiſit CHRISTVS, vt hæreticis ſua loca traderentur. Etſi aliquando ad breue tempus tenere tentârunt, breui tamen rurſus Eccleſia eos expulit, tanquam ſuos ex ſanctis CHRISTI DEI noſtri aulis & locis. Hactenus S. Athanaſius. Scribit ſanctus Anaſtaſius Patriarcha Antiochenus, paulò ante ſua tempora diſputâſſe Alexandriæ quendam, ſermone quidem imperitum, ſed in CHRISTO ſapientem, cum iis qui ſequebantur hæreticos, Seuerum, Gaianum, & Barſanuphium Acephalos. quæ diſputatio plurimum valet aduerſus Iudæos. Rogauit hic illos: Si quis rex haberet ταμεῖα καὶ οἴκυς, id eſt, conclauia abdita & domos magnæ æſtimationis, vbi neceſſaria, quæ tanquã myſteria occulta habere vellet, tractarentur, cui nam crederet fideli an infideli? reſponderunt hæretici: Fideli. Ille verò qui contrà diſputabat, continuò inducit: Ergo non eſt alia fides recta præterquam in Eccleſia Catholica; idcircò enim credidit nobis DEVS omnia loca ſancta, in quibus ipſe cùm in terris eſſet, & myſteria ſua peregit, nempe Nazareth, Thabor, Bethlehem, Iordanem, Sion, Golgatha, locum reſurrectionis; immò Sina montem, & cætera loca noui & veteris Teſtamenti tenemus, qui ſumus ex noua atque Catholica Eccleſia. Neque verò dicere poſſunt aduerſarij tenere nos per vim & tyrannicè hæc loca, cùm ſint barbari Domini eius regionis. Quod ſi dicant, ante paucos annos occupâſſe loca illa Arianos: at illi potentia ſcilicet Imperatoris freti, & tyrannicè occupauerunt; non tamen retinere potuerunt; ſtatim enim nobis fidelibus reſtituit ea DEVS. Quibus auditis, continuò hæretici abierunt, pudore affecti. Hactenus

Hoc dicit propter Arianos ſui temporis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Anaſtaſius. Accedit huc quod Conſtantinopolim tranſlatum eſt ſepulchrum matris DEI, quod Marcianus Imperator à Iuuenale Patriarcha Hieroſolymitano precibus impetrauit, quod in magnifica æde matri DEI dicata, quæ Blanchernæ templum vocatur, collocauit; quod in poteſtate quoque Chriſtianorum eſt, licet ibi etiam Turcæ dominantur. Narrat hoc Gregorius Cidrenus. Habet hæreticus cur ſacrum ſepulchrum, natiuitatis & paſſionis locus, & alia loca ſacra, ſunt quidem apud infideles, à Catholicis tamen tenentur & coluntur. Id quod ad ſuadendum veritatem Eccleſiæ Catholicæ literarum ignaris, & rudibus idiotis, immò & hæreticis ac Iudæis, plurimum valet. Potuit quidem ſimiliter remanere in loco ſuo, id eſt, in Nazareth, quamuis inter infideles, ſancta domus natalis matris DEI, & educationis pueri IESV, & teneri ac coli à Catholicis, ſicut alia loca ſancta, niſi placuiſſet DEO, ad maiorem honorem matris ſuæ, in gloriam DEI patris cum Spiritu ſancto, & ad vberiorem Eccleſiæ Catholicæ fructum, ad nos illam per miniſterium Angelorum tranſportare. Quòd autem ad id faciendum vſus eſt DEVS occaſione illa fidei à populo Chriſtiano, qui ibi erat, per occupationem barbarorum amiſſæ, & cultus ſanctæ domus ſpoliati, nobis proficit exemplo, vt maiorem reuerentiam, & diligentiorem ac celebriorem cultum adhibeamus; ne eueniat quod in Palæſtina primum, & in populis Illyrici poſtea. Quid hæreticus in hac tanta œconomia & prouidentia DEI ex bonitate ſumma eius, & ſapientia ac charitate profecta, admurmurat ac calumniatur? Cur, pro quo gratias agere debebat, & cuncto orbi Chriſtiano gratulari, blaſphemus eſt & inuidet? Sed hæreticus non eſſet niſi hoc faceret. Illud etiam dicendum eſt, ne adhuc hæreticus calumnietur: etſi ſancta domus ex Nazareth ad nos tranſportata fuerit, adhuc Nazareth verbi incarnati

patriam,

patriam, natale ſolum, Virginis iuſtam habere venerationē. Si enim per omnes vicos Nazareth puer IESVS veſtigia impreſſit, quomodo non erit venerabilis locus toties ſacris Domini veſtigiis tritus, preſſus, calcatus?

Humilitatem irridens, & exprobrans Virgini, ait hæreticus: *Si Virgo Maria humillima eſt, & totum honorem filio deferri cupit, cur dicis ideò ſuſtuliſſe ſuum cubiculum ex Illyrico, quia non deferebatur cultus debitus? Si eadem Virgo Maria eſt prudentiſsima, cur non præuidit fore, vt Illyrici, & homines in ſylua, & fratres in monte non deferrent illi debitum honorem, ob idq́; oportere transferre inde ſuum domicilium.* Hæc hæreticus. IX. ARGVMENTVM.

In hiſtoria verò, ſiue legenda ſic ſcriptum eſt, & ſic legit hæreticus, quod idem deprauauit; Et ibi, ſcilicet in Illyrico, minimè honorabatur, vt decebat Virginem, ideò de eodem loco iterum Angeli abſtulerunt, & portauerunt eā ſuper mare, in partibus territorij Recanati, &c. Vbi eſt hîc quod hæreticus recitat à diabolo dictatum, & à ſe confictū? ſuſtuliſſe ſcilicet Virginem ſuum cubiculum, quia illi non deferebatur debitus cultus? Sed demus ſic ſcriptum eſſe, vt hæreticus finxit; quis non ſic intelligat, niſi hæreticus, ſuſtuliſſe inde Angelos nutu DEI cubiculum matris eius, quia nō adhibebatur ei debitus cultus? Quid enim vſitatius & familiarius quàm quod propter aliquem fit, ab eo dici fieri propter quem fit? Deinde quis non credit & intelligit, niſi hæreticus, honorari DEVM in honore ſanctorum ſuorum? Quantò magis ſanctum ſanctorum in ſanctiſſima matre ſua? Et ſi Dominus, cùm erat in terra, matri honorem, quem filius matri ſecundum legem DEI debet, deferebat, ſicut ſcriptum eſt in Euangelio de Ioſeph patre habito, & de matre vera: Erat ſubditus illis; An poſtquam data eſt illi omnis poteſtas in cœlo & in terra, deſiuit matrem honorare? honorat autem eam, cùm à nobis per gratiam eius honoratur.

Præterea

Præterea quomodo non totum honorem filio deferri cupit, cùm ſe matrem Dei à nobis honorari cupit? an ſancti qui in cœlo ſunt, quærunt in terra quæ ſua ſunt, & non quæ Iesv Christi? cùm nobis alioqui, qui in terra ſumus, hoc Apoſtolus prohibeat, ſicut ad Philipp. cap. 2. ſcripſit: Non quę ſua ſunt, ſinguli conſiderantes, ſed quæ aliorum. Virgo igitur humillima, & ſingulare exemplum obedientiæ & humilitatis, qua meruit fieri mater Dei, noſtram ſalutem quærit (ô hæretice) in honore ſuo; & in honore ſuo totam gloriam tantùm ſolius Dei. Pergit hæreticus in eodem capite inſanire.

Si eſt, inquit, *eadem Virgo prudentiſſima, cur non præuidit fore, vt Illyrici, & homines in ſylua, & fratres in monte non deferrent illi honorem? ob idq́; oportere transferre inde ſuum domicilium?*

Cur non audet hæreticus palàm dicere: Si filius Virginis ſapientia patris eſt, cur non præuidit fore, vt Illyrici, & homines in ſylua, & fratres in monte, nō deferrent debitum honorem matri, oportereq́ue transferre inde domicilium ſuum & matris? An populus Chriſtianus, ex matre Dei Deam fecit? & habenas diuinæ prouidentiæ, ei à Deo patre cōmiſſas eſſe profitetur? Quid igitur impius hæreticus delirat? Cur, inquit, ſi prudentiſſima eſt, non præuidit hoc fore? miror, niſi hæreticos ipſos iſtius hæretici deliri & amentis pudeat. Quærat igitur ſimiliter: Cur ſi Devs eſt ſapientiſſimus, & præuidit fore malum Regem Saul, eum elegit? & eo progredietur huiuſmodi quæſtio, vt quærat hæreticus, Cùm Adam primus parens generis humani creatus eſt; ſi ſapientiſſimus eſt, immò ipſa per ſe ſapientia, & præuidit peccaturum eſſe, cur creauit? Videtur aut inſipiens aut iniuſtus eſſe, quòd Adam creauerit, quem ſciebat peccaturum eſſe, cùm ipſe Dominus dixerit de Iuda proditore: Melius erat homini illi,

ſi na-

ſi natus non fuiſſet. Reſpondet iſtis beatus Cyrillus in Glaphyris Geneſ. cap. 1. ſic enim inſcripſit libros, quos in Pentateuchum Moyſis de ſenſu allegorico & recondito conſcripſit eruditiſſimos. Sicut iis, inquit, qui futuri ſunt miſeri, ſi tales ſunt, præſtat non eſſe, ſic iis qui non ſunt malè afficiendi, præſtat exiſtere aliquando & viuere. Non autem ignorabat DEVS liberandum eſſe hominem à peccatis, & reſtituendum in priorem ſtatum. Itaque etſi non omnes crediderunt, immò pauciores, tamen præſtantior erat numerus eorum qui futuri erant ſalui, quàm eorum qui damnandi erant. Hactenus Cyrillus Alexand. Reſpondeamus nos aliquid ſimile. Nihil enim refert hîc quod animatũ eſt cum re inanimata comparamus, cùm reliqua ſatis conueniant. Iis quidem qui in Illyrico cultum iuſtum & decentem domui ſanctæ propter Virginem, & Virgini matris DEI, propter filium eius non adhibuerunt, melius fuiſſet, ſi ſancta domus non fuiſſet eò tranſportata: iis verò qui adhibuerunt, melius fuit illuc tranſportatam fuiſſe. Non autem ignorabat DEVS, neq; Virgo, quæ id vidit in verbo, tranſportandam eſſe illinc ſanctam domum, in eum locum quem nunc videmus, vbi honore & cultu celeberrimo per cunctum propè orbem percurſo & decantato, ac tot miraculis illuſtrato & propagato, celebraretur. Itaque etſi non omnes cultum, religionem, & reuerentiam, quam debebant Virgini matri DEI, in domo ſancta eius adhibuerunt, tamen præſtantior fuit numerus eorum qui adhibuerunt, quàm qui non adhibuerunt. Quid hic iam calumniari poteſt hæreticus, niſi ea ſimul calumnietur, quæ DEVS prius in Adam fecit? quæ (quantum licet magna cum paruis conferre) auctore magno Cyrillo, ſingula cũ ſingulis contulimus. Quòd ſi teſtes quæris, hæretice, domus ſanctæ ex Illyrico per Angelos tranſportatæ: teſtimonium dicit ex eo tempore totum Illyricum. Quis eos à principio

excitauit ad veniendum Lauretum tam longè, tam frequenter, tam piè & religioſè? An à nobis acceperunt fuiſſe prius domum iſtam in Illyrico? an potius ex memoria patrum ac maiorũ ſuorum, & ſuorum annalium monumentis? durat vſque in hodiernum diem dolor illius gentis ex recordatione veteris memoriæ; & iam inde à principio illius tranſportationis veniunt viri & mulieres pauperes & piæ, ad habitandum in tuguriis & gurguſtiis prope ſanctam domum; quod nulla alia natio facit.

X. ARGVMENTVM. *Si dicis myſteria huius ædiculæ fuiſſe reuelata cuidam ſancto viro: Quis credat fuiſſe reuelationem potius quàm ſomnium, aut delirium, aut figmentum? Prætereà quis eſt iſte, cui facta eſt reuelatio? quod fuit viro nomen? quæ patria? quæ profeſſio? quæ vita? quæ auctoritas?*

Fuiſſe reuelationem, & non, vt hæreticus fingit, ſomnium, aut delirium, aut commentum, quod eſt in hiſtoria, apparuiſſe Virginem anno M. CC. XCVI. cuidam viro ſancto & deuoto, & reuelâſſe ei trãſportationem domus ſanctę vnde primùm facta eſſet, & quo, & quomodo: ipſa natura rerum, & rei euentus probauit iam cuncto orbi, etſi non probauerit hæretico obcæcato. Fuiſſe enim in Illyrico, tota illa regio & natio teſtatur; non voce ſolùm, ſed lachrymis; & quod præcipuum eſt, religione & pietate inſigni, & reuerentia & frequentatione peregrinationis ad ſanctam domum Lauretanam. Teſtatur etiam magnificum in illo ipſo loco, vbi fuerat domus ſancta collocata, ædificium templi. Dicat hæreticus ei, qui non recepit Scripturas noui Teſtamenti, quomodo ſuadebimus non fuiſſe ſomnium Ioſeph, quod hiſtoria narrat, apparuiſſe Angelum Domini Ioſeph in ſomnis, dicentem: Surge, & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum: & eſto ibi vſque dum dicam tibi. Futurum eſt enim vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum.

Quomo-

Quomodo,inquam,ſuadebimus,niſi exitum rei oſtẽdendo? Cùm enim Herodes valdè iratus (vt narrat Euangelium) occideret omnes pueros qui erant in Bethlehem,& in omnibus finibus eius à bimatu & infra, ſecundũ tempus quod exquiſierat à Magis,puerum IESVM non occidit,quia præmonitus ab Angelo Domini Ioſeph de futura cæde infantium, tempeſtiuè cum eo & matre eius aufugerat in Ægyptum.Et poſtea iterum cùm iam aliquot annis fuiſſet in Ægypto: Angelus Domini,inquit,apparuit in ſomnis Ioſeph,dicens:Surge,&accipe puerum & matrem eius,& vade in terram Iſraël; defuncti enim ſunt qui quærebant animam pueri ; & quæ ſequuntur. Hoc quoq; exitus rerum probauit non fuiſſe ſomnium Ioſeph, ſed reuelationem factam in ſomnis per Angelum.Fugiſſe verò in Ægyptum & ibi fuiſſe, probat religio & pietas in CHRISTVM, quæ olim in Ægypto, alioqui ſuperſtitioſiſſima,& omnis generis idolorum cultrice, ſtatim in ipſo exordio Euangelicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ, quia CHRISTVM ex illa fuga hoſpitem recipere meruit,cœpit,& floruit, teſtimonio etiam prophetico Eſaiæ prænuntiata & teſtata cap.19. Prædixit enim in principio cap. aduentum Domini ſecundum carnem in Ægyptum, qui per fugam illam factus eſt, inquiens: Ecce Dominus aſcendit ſuper nubem leuem. Nubem enim vocauit Propheta, carnẽ Domini; vt Euſebius Cæſarien. in Comment. Eſaiæ interpretatur. Quod vt nubes,inquit,ex aëre atque halitu terræ cogitur,ſic CHRISTI corpus operatione Spiritus ſancti, cuius ſymbolum eſt aër, ex natura terrena conſtitutum eſt.Paulò pòſt in extremo illius capitis prædicens quæ ex illo aduentu in Ægyptum euentura erant, ait: Et cognoſcetur Dominus in Ægypto,& cognoſcent Ægyptij Dominum in illa die; & colent eum hoſtiis & muneribus, & vota vouebunt Domino, & ſoluent. Quis non videt hoc de votis faciendis & implendis in Ægy-

pto propter aduentum Domini in eam, perductum fuiſſe ad exitum in tanta multitudine Monachorum, qui in Ægypto olim floruerunt, & ſanctiſſimè ac religioſiſſimè vixerunt? In promptu ſunt omnibus quæ Philo Alexandrinus in libro de cultoribus, ſiue de vita contemplatiua ſcribit de illis, qui relictis omnibus rebus & curis ſeculi in Ægypto prope Alexandriam ſanctiſſimè viuebant. quos antiqui auctores ad normam Monachorum vixiſſe affirmant. Opus, inquit Euſebius, habuit Ægyptus hoc Domini aduentu, quippe quæ erat omnium ſuperſtitioſiſſima; ponebat enim fatum, & tollebat prouidentiam, colebatque omne genus animantium, & cauſſas rerum ad aſtra referebat. Deniq; Rex Ægypti dixit: Neq; noui Dominum, & quis eſt cuius audiam vocem? Hæc Euſebius. Similiter ergo hæretico qui non credit apparuiſſe Virginem ſancto viro, & reuelâſſe ei tranſportationem ſanctæ domus ex Nazareth in Illyricum, & ex Illyrico in agrum Picenum, ſed potius ſomnium illius viri fuiſſe; res ipſas ad ſuadendum ei obiicimus, licet neque ſic quidem credat, obſtinatiorque ſit ipſis Dæmonibus, qui ea, quæ alioqui nollent, credunt tamen & contremiſcunt, ſicut ait beatus Iacobus. Quod verò non dicitur in hiſtoria quod nomen eius, cui facta eſt reuelatio, quæ patria, quæ vita, quæ profeſſio, quæ auctoritas: nec hoc neceſſarium fuit ſcriptori ipſius hiſtoriæ, quæ ex rebus ipſis, & earum rerum exitu, approbationem, & habebat iã, & ſemper habitura erat. Vidit ille, dici poſſe hîc illud in Euangelio Ioannis de illis Samaritanis, qui poſtquã Christvm ipſum audierunt, mulieri Samaritanæ dicebant: Quia iam non propter tuam loquelam credimus, ipſi enim audiuimus & ſcimus, quia hic eſt verè Saluator mundi. An non erant miracula, quæ tunc & ſemper ante ſcriptam Hiſtoriam in ſancta domo fiebant, valentiora ad ſuadendum veritatem factæ reuelationis de ſancta domo, & conclaui

Virgi-

Virginis tranſportato, quàm nomen viri cui facta erat reuelatio? Dominus in Euangelio Ioannis cùm dicebat ſe filium Dei, & non credebant: Operibus, inquit, credite. Similiter dicendum eſt nunc. Si tu, hæretice, non vis credere tranſportatam eſſe huc ſanctam domum, quia eius cui reuelatum eſt, neque ſcitur nomen, neque patria, neque profeſſio, neq; vita, ſaltem operibus crede, id eſt, miraculis tot ac tantis quę quotidie propter reuerentiam & cultum huic ſanctæ domui ad gloriam Dei & honorem matris eius habitum, & fiunt & fient.

Non eſt veriſimile eſſe verba huius ſancti viri: Sedecim Marciæ legatos profectos fuiſſe Hieroſolymam, & vſq; in Galilæam, cùm ſint illi viri cordati, & expenſæ mille ſcutorum vix ſufficerent, ad conficiendum illud iter trium millium milliarium; nuſquam exprimuntur nomina legatorum; nulla fit mentio de loco congregationis factæ; non eorum qui hoc decreuerunt. XI. ARGVMENTVM.

Similiter requirit hæreticus nomina illorum 16. qui profecti ſunt in Galilæam ad explorandam totam rem; & vt non credat eſſe verum, obiicit magnos ſumptus mille ſcutorum. Quaſi verò intolerabiles eſſent tanti ſumptus ſexdecim viris, quos hiſtoria vocat notabiles in vna prouincia ad hanc legationem delectis & deſignatis. Et quaſi non potuiſſent, quanquam eſſent primarij, habitu tenui, & ſimplici cōmeatu, religioſè potius quàm ſumptuoſè peregrinationem illam ſanctam cum munere legationis ſuſcepiſſe; ſicut hodie multi nobiles peregrinationem ad illa ſancta & religioſa loca venerationis cauſa ſuſcipiunt. Nec hîc neceſſe fuit nomina illorum ſcire, neque locum congregationis factæ ad decernendam legationem, vt ſine illis vera hiſtoria non potuerit conſcribi; quia, vt paulò antè dixi, res ipſæ clamant, ipſa miracula, quæ quotidie eduntur, teſtantur.

XII. XIII. XIV. ARGVMENTVM. *Si erat domus iſta, vel camera domus, vt ait legenda, vbi ſunt alia cubicula? vbi aliæ manſiones ſub eodẽ tecto? Si vna camera, quomodo à cæteris diuulſa? Quomodo potuerunt legati reperire fundamenta huius cubiculi ab aliis diuulſa, ſi ſuperbiſſima ædificia tanta annorum diuturnitate collabuntur, & ad nihilum rediguntur? quomodo iſta domuncula remanſit integra & illæſa? ſi teſte Ioſeph. lib. 7. belli Iudaici, & Dione in vita Traiani, nõ modò Ieruſalem, ſed tota Iudæa conquaſſata eſt, & tota ferè deſolata, quomodo hæc domus remanſit illæſa, aut quomodo eius fundamenta videri potuerunt?*

Satis eſt hæc vel recitare tantùm, vt audiant Catholici quod interim rideant; & hæretici quod audire pudeat. Cur, hæretice, non ſemel negas apertè, quod ſæpe negas tacitè? Cur, inquam, nõ negas potuiſſe ſeruari & tranſportari à Deo per miniſterium Angelorum? aut ſi hoc fateris, ne Devm negare videaris ſi ſic infirmum facias vt hoc non potuerit, cur non cætera, in quibus ridiculè hæres quaſi fieri non potuerint, non ſimul confiteris? Aut cur diſſimulâſti quod in eodẽ loco hiſtoriæ ſiue legendæ ſcriptum erat? ſic enim ait: Et in vno pariete ibi propriè eſt ſcriptum, & ſculptum in muro, quomodo iſta Eccleſia fuit ibi, & poſtea receſſit. Hoc hęreticus quia quomodo per calumniam confutaret, reperire non potuit, in aſtutia ſua comprehenſus, dum diſſimulat malitioſè, propria conſcientia calumniari cõuincitur. Denique, vt diſcat hæreticus ex ſimilibus fidem capere, legat quæ hiſtorici probatiſſimi narrant, tempore Conſtantini cognomento Copronymi anno IX. imperij eius. Cùm ingens terræ motus in Syria factus eſt, quaſdam vrbes funditus corruiſſe, alias ad mediam partem, nonnullas à montanis in ſubiectas planicies cum cameris & ædificiis abſq; vlla ruina tranſportatas vſque ad ſex milliaria. Non putauit ſcriptor dubitandum aut quærendum eſſe, quod hæreticus in tranſportatione domus ſanctæ quærit mirabundus. Quia Chriſtianus

auctor

auctor Chriſtianis ſcribebat qui fidem Dei habent, & ſciunt miracula in ſignum fieri infidelibus, ſicut Apoſt. ait.

Quomodo beata Virgo, mediante illa camera, facit miracula, cùm effectus miraculorum ſoli Deo attribuatur? aut quomodo precibus & interceßionibus matris, cùm conſtet ex Scripturis, precibus & interceßionibus Ieſu Chriſti omnia nobis concedi? XV. ARGVMENTVM.

Ita eſt, hæretice. Ipſe enim CHRISTVS eſt qui dicebat tanquam poteſtatem habens, quia erat DEVS: Surge & ambula; Adoleſcens, tibi dico, ſurge. Et cùm dixiſſet leproſus: Domine, ſi vis, potes me mundare; extendens manum IESVS, tetigit eum, dicens: Volo, mundare. & confeſtim mundata eſt lepra eius. Denique quòd CHRISTVS proprio ſpiritu & virtute miracula faceret; & non ex menſura, ſed ex plenitudine daret ſpiritum, teſtatur, cùm ait Euangelium: Et omnis turba quærebat tangere eum, quia virtus de illo exibat & ſanabat omnes. Apoſtoli verò non ſic, ſed ſicut Petrus dixit claudo ad ſpecioſam portam iacenti: In nomine IESV CHRISTI ſurge & ambula. Et idem Petrus Æneæ paralytico iam annis octo iacenti in grabato: Ænea, inquit, ſanet te Dominus IESVS CHRISTVS; ſurge & ſterne tibi. Surge, inquit, ſcilicet in nomine IESV CHRISTI, quem inuocauerat idem Petrus, dicens: Sanet te Dominus IESVS CHRISTVS. Et rurſus idem Petrus in Ioppe prope Lydam cũ ſuſcitauit Tabithã: Eiectis, inquit Lucas, omnibus foras, Petrus ponens genua orauit, & conuerſus ad corpus dixit: Tabitha, ſurge. Et poſt ſanatum claudum, cùm interrogati eſſent Apoſtoli à principibus Iudæorum, & ſenioribus, & ſcribis: In qua virtute, aut nomine feciſtis hoc vos? Tunc Petrus: Notum, inquit, ſit vobis, & omni plebi Iſraël, quia in nomine Domini IESV CHRISTI, quem vos crucifixiſtis, quem DEVS ſuſcitauit à mortuis; in hoc hic adſtat coram vobis ſanus. Et in eodem cap. 4. Act. Apoſt. ſic orauerunt Apoſtoli: Et nunc Domine da ſeruis

tuis

tuis cum omni fiducia loqui verbum, in eo quòd manum tuam extendas ad ſanitates, & ſigna, & prodigia fieri per nomen ſancti filij tui Iesv, &c. Obſeruauit Damaſcenus in libro contra Neſtorium hanc differentiam faciendi miracula in Christo, & aliis ſanctis. Per orationem igitur, & non tanquam poteſtatem habentes; hoc eſt, non virtute propria miracula faciebant; ſic enim ſolus Devs ſigna & prodigia facit. Sic enim ait Scriptura: Stephanus autem plenus gratia & fortitudine, faciebat ſigna magna in populo. Intelligendum eſt ſecundum Scripturam: Faciebat, inquã, prodigia magna, ſcilicet in nomine Iesv, ſicut ſancti Apoſtoli. Secundum hoc idioma Scripturæ loquitur hiſtoria, ſiue legenda Virginis, cùm ait: Nam omni die ibi beata Virgo Maria facit miracula. Quòd hîc dicit legenda: facit ibi, id eſt, in domo iſta ſancta, hæreticus finxit dici in legenda facere Virginem miracula mediante domo; quaſi domus eſſet virtus Dei in qua faciunt ſancti, & ſanctiſſima Virgo quæcunque miracula faciunt, & vbicunque illa faciunt.

Aut quomodo, inquit hæreticus, *fiunt precibus & interceſſionibus matris, cùm conſtet in Scripturis, precibus & interceſſionibus Ieſu Chriſti omnia nobis concedi?*

Ita eſt, hæretice; qui enim dedit nobis filium ſuum, omnia cum illo nobis donauit; & quæcunque concedit, per eũ nobis concedit, quem propter nos voluit hominem fieri, & pontificem & aduocatum, ac mediatorem noſtrum. Immò in eum intuens, omnia à principio creauit, vt S. Maximus ait. Cùm quo non diſcrepat vlla ratione, concedi etiam nobis multa à Deo, precibus & patrocinio ſiue aduocatione, vel mediatione ſanctorum, & ſanctiſſimæ Virginis; quia aliud genus aduocationis ſiue mediationis ac poſtulationis Christi eſt, & aliud ſanctorum. Errat hæreticus non intelligens Scripturam & virtutem eius, ſicut Dominus dixit

Scribis

Scribis & Phariſæis. Conſtitutus eſt homo CHRISTVS IESVS mediator DEI & hominum. Non vt ſolùm precibus & interceſſionibus mediator eſſet, vt ſunt ſancti in cœlo, & miniſtri CHRISTI in Eccleſia, ſed vt eſſet etiam mediator ſeipſo. Dedit enim ſeipſum redemptionẽ pro omnibus, ſicut Apoſt. ait. Et Ioan. 1. cap. 2. Filioli, inquit, hæc ſcribo vobis, vt non peccetis. Quòd ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem IESVM CHRISTVM iuſtum; & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, & non pro noſtris tantùm, ſed etiam pro totius mundi. De hoc aduocato ait Apoſtolus in Epiſt. ad Hebr. cap. 9. Non in manufacta ſancta IESVS introiuit, ſed in ipſum cœlum, vt appareat nunc vultui DEI pro nobis, &c. Et in Epiſt. ad Rom. cap. 8. Sed ipſe, inquit, ſpiritus poſtulat pro nobis, gemitibus inenarrabilibus. Gemitus inenarrabiles vocat, quos Scriptura vocare ſolet, miſerationes Domini, quibus noſtri miſeretur. Non enim in cœlo lachrymas fundit, ſicut in diebus carnis ſuæ, ſicut Apoſtolus ait. Spiritum verò vocat CHRISTVM, vt intelligamus propter aduocationem iſtam CHRISTO à patre œconomicè commiſſam, non ſe deſiuiſſe eſſe, quod erat, id eſt, DEVM. DEVS autem ſpiritus eſt. Similiter expoſuit Cyrillus Alexandrinus, quem ſecutus ſum, locum Epiſt. Ioan. paulò antè citatum in Comment. Habacuc Prophetæ. Cùm enim recitâſſet ex Ioanne; Aduocatum habemus apud patrem IESVM CHRISTVM, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: Subiungit: Qui quidem, etſi à patre conſtitutus eſt, propitiatio, non tamen deſiit eſſe quod erat, id eſt, DEVS; id eſt, in eadem poteſtate & gloria. Hæc ad verbum Cyrillus. Item Apoſt. in Epiſt. ad Hebr. cap. 3. Vnde fratres ſancti vocationis cœleſtis participes; Conſiderate pontificem cõfeſſionis noſtræ IESVM filium DEI. Vocat pontificem confeſſionis noſtræ, quia factus homo in odorem ſuauitatis ſeipſum pro

nobis, & nos per ſeipſum, & in ſeipſo Deo patri obtulit, & offert in perpetuum ſibi & patri confeſſionem fidei noſtræ, vt beatus Cyrillus in quarto Tomo Pentabibli contra Neſtorium ait. Vnde idem Apoſtolus in eadem Epiſt. cap. 8. Talem, inquit, habemus pontificem qui conſedit ad dexteram magnitudinis in cœlis ſanctorum miniſter, & tabernaculi veri, quod fixit Devs, & non homo. Sanctorum miniſtrum vocat, quia miniſtrat ſancta; hoc eſt, offert in cœlo ſacrificium non terrenum, ſed ſpirituale, ſeipſum ſcilicet & nos, ac confeſſionem fidei noſtræ per ſeipſum, & in ſeipſo tanquam in primitiis; habens ipſum cœlum tanquam tabernaculum ſanctum, ad hoc miniſterium æterni ſacerdotij. Sic etiam Cyrillus interpretatur. Rurſus idem Apoſtolus in Epiſt. ad Hebr. Non enim habemus pontificem qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum per omnia pro ſimilitudine abſque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Vt conſequamur, inquit, gratiam; ab eo ſcilicet qui eſt Devs; & gratiam item inueniamus in eo ipſo, qui eſt Dominus gratiæ & donorum omnium. Sic igitur eſt aduocatus Iesvs, ſic poſtulat pro nobis, ſic apparet pro nobis vultui Dei, vt ipſe idem qui eſt in eadem poteſtate & gloria, in qua eſt pater, donet quod pro nobis poſtulat patrem, ſic offert pro nobis ſibi & Deo patri. Nihil tale attribuimus nos ſanctis aduocatis noſtris, aut aduocatæ noſtræ Virgini & matri Dei. Sancti enim ſerui Dei ſunt; & Virgo mater, ancilla Domini: Christvs verò Devs & homo, Dominus & miniſter. Hoc enim quotidie clamat Eccleſia Catholica per cunctum orbem in Litaniis, cùm ait: Sancti orate pro nobis; Intercedite pro nobis. Sancta Maria, ora pro nobis. Sancta Dei genitrix, intercede pro nobis. Nunquam audiuit hæ-

reticus in Eccleſiis Catholicorum, nec in libris eorum legit: CHRISTE ora pro nobis; aut IESV intercede pro nobis. Quod ſi conſtat in Scripturis, vt ait hæreticus, precibus & interceſſionibus IESV CHRISTI, omnia nobis concedi: Licebit ſic precari CHRISTVM; CHRISTE ora pro nobis, CHRISTE intercede pro nobis. Quod ſi ſic omnino precandum eſſe putas hæretice, & hoc, vt dicis, in Scripturis conſtare ais: negas igitur cum Neſtorio eundem eſſe DEVM & hominem CHRISTVM IESVM; idque in Scripturis conſtare ais, ſicut ille aiebat. Aut ſi verò hypoſtatica ac ſubſtantiali vnione DEVM eſſe credis, & non vnione ſecundum habitudinem, vt ſanctum quempiam vel Prophetam: quare non ſic precaris, vt precando ſimul confitearis eſſe eum in eadem poteſtate & gloria cum Patre & Spiritu ſancto. Quare non dicis ſicut Eccleſia Catholica: Kyrieeleiſon, Chriſteeleiſon, CHRISTE audi nos; CHRISTE exaudi nos. CHRISTE fili DEI, miſerere nobis, & ſimilia? Quis vnquam ab eo qui totam poteſtatem dandi habet, petit vt oret alium pro ſe, vt det quod petitur? Nos vnicum mediatorem ponimus, conſtitutum à DEO, eundem DEVM & hominem, vt daret ſe redemptionem pro omnibus, eſſetque propitiatio pro peccatis totius mundi, factus Pontifex in æternum confeſſionis noſtræ, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis, ſicut Apoſtolus ait. Qui ſicut ait ibidem idem Cyrillus, quem paulò antè dixi, tanquam Pontifex conſecrat nos in odorem ſuauitatis per fidem, & ſeipſum pro nobis tanquam odoratiſſimam hoſtiam obtulit DEO patri. Vocatus enim, inquit, eſt ſacerdos filius DEI, non ſine carne, ſed factus homo ſicut nos, quos gloria ſacerdotij honorauit, & fecit vt ſacerdotio eius gloriemur. Hactenus Cyrillus. Satis ex his paucis intelligi poteſt ab eo, cui dat Dominus intellectum, ſicut Apoſtolus ait; quomodo non derogent vnico mediatori DEO & homini

CHRISTO, alij mediatores, nudi homines, miniſtri & famuli non in domo ſua, ſed in aliena; CHRISTVS autem tanquam in domo ſua, ſicut Apoſtolus ait: quæ domus, inquit, ſumus nos. Eadem enim ratio eſt Pontificis & mediatoris; quia vtrumque conuenit CHRISTO propter myſterium incarnationis. Quare quod Apoſtolus dicit, comparans cum CHRISTO mediatore & Pontifice noui Teſtamenti, Moyſem Pontificem & mediatorem: fuiſſe Moyſem fidelem Pontificem in tota domo eius, tanquam famulum, CHRISTVM verò tanquam filium DEI in domo ſua, quæ domus ſumus nos: hoc ipſum licet dicere de mediatione & poſtulatione CHRISTI, comparata cum mediatione & interceſſione ſanctorum. Hi enim ſunt fideles quidem mediatores & interceſſores, tanquam famuli in domo aliena; non enim ſumus nos Virginis aut ſanctorum: CHRISTVS autem tanquam in domo ſua, quæ domus ſumus nos. Nos enim ipſius CHRISTI ſumus, ſicut Apoſtolus ad Galat. ſcripſit. Præterea hic vnicus mediator habitat per fidem in cordibus noſtris, ſicut Apoſtolus ad Epheſ. ſcripſit, non autem ſancti, neque Virgo MARIA. Quare non ſic ſunt mediatores, neque ſic pro nobis poſtulant, orant, offerunt, vt ipſi quod poſtulant, virtute ſua dare poſſint; itaque non eſt vnum & idem genus mediationis, immò tantum differt mediatio CHRISTI à mediatione ſanctorum, quantum differt creator à creatura. Legat hæreticus quæ ſancti Patres de ſancta Virgine ſcripſerunt, Gregorius Neocæſ. Gregorius Nyſſenus, Amphilochius, Chryſoſtomus, Damaſcenus, & alij, ne omnes enumerem; omnes petunt à Virgine vt oret pro eis. Eſne tu, hæretice, magis doctus & ſanctus & pius quam illi? O cęcam mentem & os blaſphemum hæretici, qui odium quod in nos, & Eccleſiam noſtram concepiſti, in accuſationem conuertis & vituperationem matris DEI.

Reſpon-

Reſpondendum eſt deinceps ad ea quæ contra miracula obiicit hæreticus. *Nullam,* inquit, *fidem miraculorum adſtruunt tabellæ votiuæ, veſtes, pecuniæ, cerea, & alia; Quia ſæpe illi mentiuntur qui illa offerunt, & ſacerdotes ipſi illa fingunt ob ſpem lucri.* XVI. ARGVMENTVM.

Sæpe, inquit hæreticus, illa fingunt; conſcientia enim conuictus non eſt auſus dicere, ſemper illa fingunt, ſed ſæpe; ne æquiores & meliores viderentur illi Seniores & Scribæ & reliqui de genere ſacerdotali, qui in Actis Apoſtolorum cap. 4. de claudo illo, qui poſt quadraginta annos ætatis, & claudicationis, ſanatus fuerat: Quid faciemus, inquiunt, hominibus iſtis, quoniam quidem notum ſignum factum eſt per eos, omnibus habitantibus Hieruſalem manifeſtum eſt, & non poſſumus negare. Similiter in miraculis quæ in domo ſancta Lauretana facta ſunt, & fiunt, in multis ciuitatibus Italiæ, & extra Italiam manifeſta ſunt. Infinitæ ciuitates & regiones negare non poſſunt ea quæ facta vident, pro quibus DEVM laudant, & gratias agunt. Ait deinde.

Dæmones ſua naturali virtute talia miracula edere poſſunt, apparent in viſu, medentur languoribus ſuis præſtigiis, ſua membra adiuuant ad confirmationem ſui erroris, iuxta illud Matth. 14. Surgent enim Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna, & prodigia, &c. XVII. ARGVMENTVM.

Quod hîc ait poſſe dæmones virtute naturali facere miracula talia, vt ſanare languores præſtigiis ſuis, quia longum eſſet ad refellendum hæreticum, & non neceſſarium, genera miraculorum quæ hîc facta ſunt, excutere, & demonſtrare non niſi poteſtate diuina fieri potuiſſe, vnum tantum inſtar omnium erit, expulſio dæmonum, & liberatio energumenōn, quæ in ſancta domo palàm cunctis ſpectantibus, patrocinio Virginis, in nomine IESV CHRISTI fit. An dicturus eſt hæreticus, ſicut illi olim in Beelzebub eiici dæmonia? Si enim dæmones virtute naturali, aut præſtigiis ſuis dæmonia eiiciunt, igitur Satanas, aiebat Dominus, aduerſus ſe

diuiſus eſt;& quomodo,inquit,ſtabit regnum eius? Euſebius Cæſarienſis lib.3.de demonſtrat. Euang. cap.6.ſcripſit in eos qui ad negandum miracula CHRISTI, præſtigias,quas hæreticus iſte dicit, obiiciebant. Illud etiam aduertendum eſt, quod Euangelium ait: Surgent Pſeudochriſti, & Pſeudoprophetæ,& dabunt ſigna magna, & prodigia, &c. Quia hæreticus hunc locum produxit, non erunt illa miracula vera, licet primo aſpectu videantur. Quod apertè Paulus declarauit nobis,cùm ait in Epiſt.ad Theſſal. 2. cap.2. de Antichriſti aduentu loquens: In omni,inquit, virtute & ſignis & prodigiis mendacibus. Et quia in omni virtute dixit, & nihil quod per verum miraculum fieri ſolet, excepit, etiam mortuum oſtendet Antichriſtus ſuſcitatum,non verè,ſed phantaſticè. Sic reſpondit beatus Athanaſius in quæſtionibus ad Antiochum,iis qui aiebant reliqua omnia ſigna falſa ſcilicet,facturum eſſe Antichriſtum, præterquam ſuſcitare mortuos. At miracula quæ in ſancta domo per preces & interceſſionem Virginis in nomine & virtute DEI fiunt, vera miracula, & non phantaſtica eſſe,qui iis,in quibus facta ſunt, & qui munere DEI læti fruuntur ac DEVM glorificant, non credit, quid cum illo agas præterea? niſi ſinere illum, quia huiuſmodi homo ſubuerſus eſt,& proprio iudicio (vt Apoſtolus de hæretico dixit) condemnatus. Ponit quæſtionem idem Athanaſius, quod ſignum oportet obſeruare, ne quis propter ſigna & prodigia decipiatur, & Antichriſtum accipiat pro CHRISTO? Reſpōdet: Signum quod Dominus noſter dedit,cùm dixit: Sicut fulgur exit ab Oriente, & apparet vſque ad Occidentem, ſic erit ſecundus aduentus filij hominis. Vnde,inquit idem Athanaſius, diſcimus quod omnis CHRISTVS veniens,& non apparens ſubitò in vniuerſo mundo, ſed in vna regione,vel in vna ciuitate,hic talis haud dubio Antichriſtus eſt.Si igitur miracula quæ in ſancta domo fiunt,non

fiunt

fiunt patrocinio Virginis, & in nomine CHRISTI, ſed in nomine Pſeudochriſti, præſtigiis dæmonum & phantaſticè, vt hæreticus dicit, neceſſe eſt, vt ſecundum doctrinam Euangelij, hic CHRISTVS, cuius inuocatione & virtute hæc miracula fiunt, in hac regione tantum Recanatenſ. apparuerit. At ſi hic ille CHRISTVS inuocatur, qui in vniuerſo mundo mira celeritate apparuit & prædicatus eſt, & cui vbique terrarum creditum eſt, neceſſario ſequitur, verum CHRISTVM eſſe authorem horum miraculorum.

Reuelatio facta Patri Paulo à Sylua cur noctu? cur in lumine longitudinis 12. pedum, & ſex latitudinis? Quis ille alius quàm Monachus? Cur in eo lumine Virgo mater de cælo deſcendiſſe credatur, cùm è cælo omnia proſpiciat? XVIII. ARGVMENTVM.

Quærit hæreticus cur reuelatio facta Paulo iſti, in illo lumine oſtenſo, facta fuit noctu, id eſt, duabus horis ante diem? Quid ineptius & obtuſius quæri potuit? Quis niſi cæcus, non videt lumen noctu oſtenſum accommodatè ad naturam noſtram, illuſtrius tunc, & ſplendidius & admirabilius apparere? Sic DEVS in columna ignis propter ſplendorem populum ſuum ducebat per noctem, ſicut Scriptura Exodi teſtatur. Quærit etiam cur in lumine 12. pedum, & latitudine ferè ſex pedum; vt ſi totam reuelationem neſciamus interpretari, nulla ſit Paulo de Sylua facta reuelatio. Hac ratione fretus hæreticus, propheticas reuelationes Scripturarum negare poterit, niſi quis omnes partes cuiuſcunque reuelationis factæ interpretari ſciat. O cæcitatem deſperatam hæretici deplorati, & ſua obſtinatione & duritate inſanabilis. Quid ſi conuenit menſura illius ſanctæ ædis cũ mẽſura luminis oſtenſi; quid hæreticus dicet, an non potius obmuteſcet?

Addit illud multò magis adhuc ineptius & magis ridiculum: *Cur*, inquit, *in eo lumine Virgo mater de cælo deſcendiſſe credatur, cùm è cælo omnia proſpiciat?* XIX. ARGVMENTVM.

Quaſi

Quaſi in lumine apparuiſſet Virgo, ſicut Paulus Sylua exiſtimabat & interpretabatur, vt videret, & non potius illud lumen ſignum eſſet, & quaſi teſtimonium cœleſte, eſſe illam ſanctam domum, natale domicilium Virginis. Quod autẽ Paulus ille interpretabatur Virginem ſanctam fuiſſe quæ ibi apparuit in die natiuitatis ſuæ, neſciens locutus eſt ſecundũ idioma Scripturæ, quæ dicit in Euangelio de Ioanne: Et vidit ſpiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ipſum. Non vniuit ſecum columbam ſpiritus, abſit; neque vidit eum ſubſtantialiter & in ſe, Ioannes, ſed in ſigno tanquam in ſpeculo. Sic Paulus Virginem iſtam vidit, non in ſe, ſed in ſigno luminis tanquam in ſpeculo. Non enim dicit vidiſſe ſe Virginem, ſed lumen quod apparuit. Potuiſſet alioqui, ſi Deo viſum fuiſſet, ipſa Virgo apparuiſſe, ſicut infinitis apparuit. Si enim potuerunt Moyſes & Elias apparere colloquentes cum eo, ſicut ait Euangelium, & ſi potuit videre Oniam & Hieremiam Iudas in 2. Machab. & alij quinq; in lib. 2. apparere potuerunt in equis aureis frę̧nis, hi autem fuerunt Simon pater ſecundi Iudæ, qui erat dux, & alij quatuor filij Matathiæ. Quinque enim filios habuit, Ioannem, Simonem, Iudam, Eleazarum, Ionatam. Quatuor pugnabant pro conſobrino Iuda Macchabæo, & quintus, id eſt, Simon, pro filio. Si, inquam, apparere potuerunt, quos Scriptura vocat viros, cùm apparuiſſe dicit, vt animas illorum verè & non phantaſticè apparuiſſe intelligamus, cur non potuerit Virgo apparere, cùm viſum fuiſſet Deo, ad vtilitatem noſtram? Sic etiam teſtatur Gregorius Nyſſenus apparuiſſe Virginem & Ioannem Euangeliſtam Gregorio Neocæſarienſi. Et B. Baſilius in Comment. 1. Pſal. vt Euſtratius teſtatur: Animã, ait, corpore liberã aſcendere & deſcẽdere, atq; mitti huc ad nos inſtar Angelorum, ad noſtram vtilitatem, vtpote, ſanctã & religioſam. Hoc ipſum multis aliis exẽplis & teſtimoniis probat

bat idem Euſtratius presbyter Conſtant. cuius meminit Photius in ſua bibliotheca. Probat, inquam, mitti huc ad noſtrā vtilitatem animas ſanctas. Cur igitur non potuerit anima Virginis cum corpore ſuo glorioſo in die natalis ſui huc mitti, quæ ſanctitate & gloria omnes Angelos vincit?

Duo teſtimonia, inquit hæreticus, *Franciſci Prioris, & Pauli Rinaldicij, non fuerunt legitima, nō præſente aut iubente magiſtratu, aut præſente notario examinata.*

Sic hæreticus infirmat teſtes qui audierunt fuiſſe in ſylua domum ſanctam. Confectum enim putat miſellus, ſi non ſint teſtes fuiſſe in ſylua, neq; futuros eſſe fuiſſe in Illyrico, ac proinde neq; Laureti; & quaſi cauſa criminis agatur, aut lis ſit pecuniaria, dicit duo teſtimonia Franciſci Prioris, & Pauli Rinaldicij non fuiſſe legitima, quia neq; præſente magiſtratu aut iubente, aut præſente notario examinata ſunt; & non de viſu, ſed de auditu. Quantò melius, quod ad fidem teſtium pertinet, intellexit ſola ratione naturali duce, Adrianus Imperator gentilis, ſine Deo in hoc mundo, vt Apoſt. ait in Epiſt. ad Eph. quam hæreticus, in Pand. lib. 22. titul. de Teſtibus. in reſcripto ad Valerianum. Sicut non ſemper, inquit, ita ſæpe ſine publicis monumentis cuiuſque rei veritas deprehenditur. Alias numerus teſtium, alias dignitas, & auctoritas, & alias veluti conſentiens fama confirmat rei, de qua quæritur, fidem. Habemus hîc conſentientem famam, cuius fides ſimplex, omni demonſtratione firmior hic & conſtantior eſt. Faceſſat ergo hinc quo dignus eſt hæreticus cum ſuo magiſtratu & notario.

Si ſacra ædicula fuit in ſylua, & in monte duorum fratrum, cur non apparent veſtigia? XX. ARGVMENTVM.

Pendet hæc quæſtio ex alia quæſtione, quomodo erat hæc domus ſancta firmata ſuper terram ſine fundamento, ſicut hodie eſt? Sed credo non putauit hæreticus quærendum eſſe hoc, memor Scripturæ ſanctæ, quæ ait Pſal. 103. Fundâſti terrā ſuper

 ſtabili-

ſtabilitatem ſuam, id eſt, terrã in ſe fundauit, & ſtabiliuit nullo alio fundamento iacto, niſi nutu DEI ſic eam librante in medio & ſtabiliẽte. Immò vt dicam, quod veriſimilius eſt de hęretico exiſtimare, nõ aduertit quod hiſtoria de domo Lauretana narrat: quod cùm viderent eam ſine fundamento, quod omnibus incredibilem admirationẽ mouebat, metuentes ne concideret, muro firmiſſimo cinxerunt. Quod verò hæreticus non hoc animaduertit ad ridendum, vt ſolet, non fuit fortuitò factum, ſed à DEO prouiſum, ne rideret diuinæ magnificentiæ opus. Quæ igitur veſtigia domus ſanctæ in ſylua, & poſtea in monte duorum fratrum poſitæ hæreticus requirit, ſi nullum fundamentum domus ſanctæ erat in ſylua, nec in monte duorũ fratrum, ſicut neque modo eſt Laureti?

XXI. ARGVMENTVM. *Quare Dantes Algerius natus anno 1260. mortuus 1321. Franciſcus Petrarcha natus 1304. mortuus 1374. Ioannes Boccatius natus 1314. mortuus 1372. Notiſſimi nouarum rerum ſcriptores, nihil tale ſuis temporibus actum retulerunt. A narratione rerũ, maximè notabilium, ſibi temperare illi ſummi viri nulla ratione potuiſſent.*

Cùm quærit hæreticus quare Dantes Algerius, Franciſcus Petrarcha, & Ioannes Boccatius, qui in illud tempus domus transportatæ inciderunt, nõ meminere, cùm eſſent alioqui curioſiſſimi nouarum rerũ ſcriptores: neſciens quid diceret cauſam attigit, cur non meminerunt. Dicit enim fuiſſe illos curioſiſſimos nouarum rerũ ſcriptores. Tales mihi eos feciſſe videtur, quales Lucas in Act. Apoſt. Athenienſes illos deſcripſit: Athenienſes, inquit, omnes, & aduenæ hoſpites, ad nihil aliud vacabant, niſi aut dicere aut audire aliquid noui. Ex his erant, qui aiebant de Paulo, vt idem Lucas paulò antè dixerat, nouorum dæmoniorũ videtur annunciator eſſe. Non permiſit optimus & iuſtiſſimus DEVS, vt homines iſti de domo ſancta, & de mirabili eius per miniſterium Angelorũ transportatione, & miraculis aliis in ea factis meminiſſent, ne fortè ad fabulas referrẽt homi-